A (AOX)
AASH 11/64

John Carter Brown
Library
Brown University

The John Carter Brown Library
Brown University
Purchased from the
Louisa D. Sharpe Metcalf Fund

Sum Monasterij Czirnensis.

COSMOGRA-

PHIA SIVE GEOGRAPHIA

D. IACOBI CHEYNEII AB Arnage I. V. Doctoris, duobus libris comprehensa.

Accessit gemma Phrysij medici ac Mathematici de orbis diuisione, & insulis recenter inuentis, opusculum longè, quam ante hac Castigatius.

DVACI,
Sumptibus BALTARIS BELLERI,
Sub Circino, anno 1599.

Sum H. Jacob. Enzenmillery Bebelnsarij

CLARISSIMO VIRO D. IOACHIMO HOPpero rerũ Belgicarũ in Hispania apud Regem Catholicum presidi consultissimo, &c. Amplissimoque Academiæ & Ciuitatis Duacenæ Senatui.

Iacobus Cheyneius ab Arnage. S. P.

MIHI diu, multumque de tuo, clarissime, amplissimeque D. præses, cùm in vniuersam rẽp. literariam, tum maximè in Academiam nostram singulari studio, & vestra (viri ornatissimi, prudẽtissimique) erga me beneuolentia cogitãti sæpenumero in mẽtem venit aurea illa Marci Tullij sententia, ingratũ esse eũ, qui beneficium accepisse se negat, ingratum item, qui id dissimulat, rursum ingratũ, qui nõ reddit; at omnium ingratissimum qui oblit' est. Etsi enim nonnunquã tãta est beneficiorum magnitudo, vt quãta debetur gratia referri nõ possit, semper tamẽ habẽda est, quantã maximam animi nostri concipere possunt: nisi beneficio non dico vinci, sed

indigni haberi, velimus. Quare ineundam mihi rationem esse putaui, qua vestrum, cùm in literatos omnes, tum erga me fauorem publicè, atque adeò posteris testatum relinquerem, meque ipse ab ingrati animi, & beneficiorum immemoris suspicione vndicarē. Tametsi enim semper pro virili operā dedi, ne quid vel vos, vel hæc nascens Academia (siue philosophiam, siue etiam mathemata traderem) in me officij desideraret: ea tamen ingenij mei & ætatis erat imbecillitas, quæ neque vestris in me meritis & beneuolentiæ, neque votis meis responderet. Quò factum est, vt nō semel hos nostros de re geographica libros, vt meæ erga vos obseruantiæ essent publica significatio, vestro nomine euulgare cogitarim: sed obstitit insita quædam ab ineūte ætate verecundia, & mēs tenuitatis suæ conscia, donec tandem pietas & gratiæ referendæ studium verecundiam; animi verò paruitatem concepta de vestro crescente indies in me fauore opinio superarēt: & his animi non omnino effrenati repagulis vestra auctoritate atque humanitate conuulsis, quò sponte ferebar, rectà con-

tenderem. Et quo tandem, nisi ad vos, quibus, non tantùm meæ, sed eorum omnium, qui ex hac florentissima Academia fructum aliquem hauserunt, musæ, plurimum, si non omnia debent. Quis enim credat Academiam Duacensem iam recens natam, non dico professorum gloria & eruditione (ne præceptoribus meis adblādiri videar) sed studiosorum in omni disciplinarum genere numero atque frequentia, cum antiquissimis Italiæ, Frāciæ, atque adeò totius Europę Academijs facilè posse contendere? Aut potius, quis non credat inuictissimi magnificentissimique Regis Catholici auspicijs, vestra verò industria, prudentia atque fauore hanc nostram Academiam (quid-ni enim nostram appellem, in qua non solū philosophiam, verumetiam mathemata annis iam aliquot interpretor,) tantò reliquas omni disciplinarum genere superaturam, quantò vos, quàm cæteri studiosius, & pietatem cum eruditione coniungitis, & omni personarum discrimine sublato, singulorū meritis honores & professiones decernitis. Illud verò in vobis non laudare, vel potius nō admirari non

possum, quod contra, ac nunc sunt hominum mores, ex omnibus orbis Christiani angulis lectissimos quosq; viros ad academicas professiones euocaueritis, & vestros exterosq; nullo discrimine sitis cõplexi. Quod quãtum cùm gloriæ, tum laudis, & vobis & ciuitati vestræ cõciliarit; sitque deinceps allaturum; testes appello Galliam, Germaniam, Scotiam, Angliam, Hyberniam reliquasque his vicinas prouincias, è quibus, quam numerosa iuuentus, quot viri selectissimi & in omni disciplinarum genere versatissimi in hanc Academiam sese effuderint, publica auditoria, vel me tacente, loquũtur. Sed quid de tribus illis amplissimis ingeniorum palæstris, Gymnasio inquam, Regio, Aquiscintensi, & Marchianensi, in quibus, pietate iuxta ac eruditione rudiores & tenelli adolescentũ animi imbuũtur, nũc dicam? Sanè quòd ad Gymnasium Regium attinet, citra ingratitudinis notam à me præteriri minime potest: quippe quod non solum suo me gremio primum excepit fouitque, verùm etiam clarissima laudũ vestrarum monumenta prolixè ostentat. Nã si indefessam

viri ornatiſsimi D. Antonij Surij Theologiæ Licentiati eruditiſsimi, & eiuſdem Gymnaſij moderatoris vigilantiſsimi induſtriam, & ſingularem in tenera iuuentute formanda dexteritatem propiùs intueamur, quod obſecro illuſtrius prudẽtiæ argumentũ exhibere potuiſtis, quàm cùm eum diſciplinę inſtaurandę præfeciſtis, cuius vigilantia in Gymnaſio Marchianenſi plurimùm antè enituerat. Ne multis, veſtro erga Gymnaſiũ & domum regiam fauori nihil accedere poſſe videtur, ſi (quod cœpiſtis) operam detis, vt quemadmodum loci amænitate, ſitu & gratiſsimo muſis ab hominum turba receſſu cætera Gymnaſia longè ſuperat, ita ædificiorum amplitudine atque ſplendore (qua nunc re vnica vincitur) eadem æquet. Sed iam ad vos redeo, qui tanto ſtudio, tanta conſpiratione & animorum conſenſione Academiam Duacenam ſimul plures gubernaris, quantam non facilè in ſe vno quis inuenerit: & tanta iterum dexteritate, prudentia atque vigilantia, quantam verbis explicare non ſit facile. Me certe terque quaterque felicem non ſemel exiſtimaui, qui in hanc migra-

uerim ciuitatem, in qua senatores vitę integritatem ac morum grauitatem incredibili in exteros pietate ac religionis studio mirificè ornarunt. Non semel Deo immortali gratias egi, qui periculoso hoc temporum statu, me in eam Academiam euocauerit, in qua iureconsulti pariter ac medici, necnon humaniorum literarum & philosophiæ professores de Christianę modestiæ ac veræ pietatis (quod caput est) palma cum quibuscumque theologis summo studio decertant. Iam verò quanta sit magistratus auctoritas, & in prouocandis ad virtutem ciuibus industria & studium, testes sunt, præter quotidiana verę pietatis exempla, tumultus belgici, à quibus meritò Duacum se immune esse glorietur: vtpote in quo nemo tã proiectæ audaciæ inuentus est, qui vel senatorum auctoritatem summa cum pietate atque humanitate coniunctam infringere, vel publicam pacem interturbare attentarit. Tanti nimirum refert, quorum prudentia & consilio imperita multitudo in hac temporum & morum difficultate dirigatur. Nam licet videre, quęcunque mutatio in principibus reip. viris extiterit,

rit,eandem in populo secutam;& vita victuque sanatorum atque nobilium mutato,mores ciuitatis mutari. Si igitur verum est, aut potius quia est verisimum, principes in ciuitate viros, si mali sint, plus exẽplo,quàm peccato nocere, nam non solum ipsi vitia concipiunt,sed ea in ciuitatem infundũt,quídni reip. salutem ciuiumq; honestatem, prudentiæ,probitati atque integritati eorum;qui præsunt assignemus? Quippe qui cùm in honore & dignitate constituti sint,mores ciuitatis iustà corrigere ac corrũpere possunt. Quidni remp. Duacensem verè beatam dixero,cuius ij gubernacula tenent, qui non minus vitæ exemplo & morum grauitate,quam auctoritate & seueritate legum ciues suos in officio continent? Si quis hic mihi fidem nõ adhibeat oculos velim conuertat in viros longe prudentissimos nobilissimosque D. Ia. de Bonmarciet,principem nunc senatorem, D. Eustathium Auscitanum,cuiin sex virum concilio principatus hoc anno delatus est,D. Iacobum d'Assignie, D. Iacobum de Moncheaux, D. Philippum Brodęũ. D. Nicolaũ de le Lys, reliquũque Duaobtund

ſtudiorum genere prouehendo conſenſus, ea conſpiratio, induſtrie & vigilãtia, quæ ſumma omnia pollicẽtur: ea humanitas, beneuolentia, charitas, que non tantum domeſticis, verùm etiam exteris gentibus eſt admirationi: tantum denique de omnibus bene merendi ſtudiũ, quantum nec animo concipere, nec cogitatione depingere, nedum verbis explicare valeo. Quare ad has meas de rẽ geographica lucubrationes, vndè digreſſus ſum, redeo; quæ cum vel me inuito publicam lucem acceptura viderentur (quomodo enim comprimes, quod iam emanauit, & ante biẽnium cum auditoribus noſtris publicè comunicatum eſt?) operæpretium, imo verò officium me facturum arbitrabar, ſi veſtrum contra calumniantium fraudes patrocinium implorarem, & hàſce mathemathũ noſtrorum primitias vobis inſcriberem dicarẽque, quorum fauori, beneuolentiæ & liberalitati, quicquid in his diſciplinis, vel iam molior, vel propitio deinceps numine attentabo, non acceptum referre citra turpiſsimam ἀχαριστίας notam, ingratique animi labem non facilè eluendam,

dam, non possum. A te igitur amplissime D. Hoppere, quanta summa possum animi demissione contendo, vt exiguũ hoc munusculum, qui tuus esse solet in eos omnes candor, qui se literis totos consecrarunt, æqui boni consulas. Tametsi enim nominis tui splendori minimè respondet, facit tamen bonorum omnium & maxime eorum, qui in Academia nostra principatum obtinent, de singulari tua eruditione, & incredibili literatorũ prouehendorum studio consensus, vt mihi facile persuadeam nihil tibi ingratum accidere posse, quod reip. literariæ & musis dicatur. Animum insuper & alacritatẽ mihi addit, quod ex lucubrationibus tuis, quas cùm propter rerum & sententiarum vbertatem, tum ob raram quandam elegantiam & dictionis nitorẽ, cupidissimè legi, nõ obscurè cognoui, quã diligenter, cùm in omni philosophia, tum in disciplinis mathematicis sis versatus. Sed & vos, viri prudentissimi lectissimique, rogo atque obsecro, vt quæ vestra est, cum in omnes, tum in me maximè consueta humanitas, hòsce de geographia libros ea vultus serenitate acci-

accipiatis, qua noſtram hactenus operā eſtis complexi: ita enim futurum eſt, vt & ego me veſtra beneuolentia non indignum haberi intelligam, & ad reliquas mathematum partes (quæ apud me inchoatæ iacent, haud diſsimili aut etiā accuratiore commentandi genere illuſtrandas alacrius me accingam. Nec tam labores aut ſumtus (qui tamen in mathematicis diſciplinis, propter ſchematum frequentes delineationes, maiores, quā in alijs eſſe ſolent) reformidem, quàm veſtro fretus patrocinio fortiter intrepideque ſubeam perferāque. Interea Deū optimum maximumque rogare non deſinam, vt vos quam diutiſsimè, tum Academiæ noſtræ, tum toti reip. literariæ ſuperſtites ac incolumes eſſe velit. Valete.

Duaci è Collegio Regio. 8. Id. Februarij.

INDEX CAP. LIBRI primi.

De Cosmographia, Geographiæ, & Topographiæ distinctione. cap. 1.
De Æthereæ regionis diuisione. cap. 2.
De varia circulorum cœlestium diuisione & primũ de circulis maioribus. cap. 3.
De circulis maioribus. cap. 4.
De alijs aliquot circulorum diuisionibus. 5.
De præcipuis aliquot circulorum officijs. 6.
De geometrica circuli in 390 partes diuisione. 7.
De terræ ambitu & varijs geographicarum mensurarum nominibus. 8.
De terræ figura & zonarum distinctione. 9.
De Climatis. 10.
De parallelis, & cursim de Antæcis periœcis & Antipodibus. 11.
De rationibus vmbrarum & gnomonis ad quaslibet regionum seu cœli inclinationes. 12.
De quatuor mũdi cardinibus, & præcipuis regionibus ventorum. 13.
De internoscendis quatuor mũdi cardinibus, & præcipuis 12. ventis, linea item meridiana inuestigatione. 14.
De latitudine & longitudine terræ. 15.
De inuestiganda longitudine regionum. 16.
De latitudine inuestiganda. 17.
De usu quem longitudinis & latitudinis cognitio in geographia præstat. 18.
De sinuũ ratione, & dimensenda ex tab. sinuũ locorum

rum distantia. 19.
De terra in superficio sphæræ inscribenda, seu artificiosa globi geographici compositione. 20.
De ratione inscribendæ terræ in superficie plana. 21.
De Chorographia. 22.
De Hydrographia. 23.
De Quadrato nautico, eiusq; vsu & fabrica. 24.
Insignium aliquot locorum longit. & latit. 25.

INDEX CAP. LIBRI secundi.

De geographicæ disciplinæ propriis vocabulis. 1.
De oceani partiumque eius decursu & varia appellatione. 2.
De reliquis tribus sinibus, Caspio Persico & Arabico, ac præcipuis 5. peninsulis. 3.
De generali terræ diuisione. 4.
Europæ summa diuisio. 5.
Asiæ summa descriptio. 6.
Summa Africæ descriptio. 7.
De America. 8.
De parte australi nondum explorata. 9.
Epilogus ad Lectorem.

CANDIDO LECTORI
Gemma Phrysius

S. D.

T si multos præclaroſq; autores iamdudum non ſine magna omnium laude de Coſmographia, deque alijs id genus artibus ſcripſiſſe minimè inficias ire poſsim, nō tamen ob hoc, candide Lector, ὄνος ἐν πανηγύρει (vt aiunt) erimus, aut arrogantiæ & temeritatis nota digni cenſebimur, ſi poſt tantos tantæque induſtriæ viros, quales fuêre Ptolemæus, Strabo, Stephanus, Mela, Plinius, & plures etiam noſtræ ætatis viri doctiſsimi, tandem aliquid in lucē edere tentauerimus: quandoquidem non eo ſunt à nobis animo incepta, vt eos æquare ne dicam excellere conemur, quorum ego ſcripta ſarta tectaque (vt dici ſolitum eſt) ſemper habui. Sed quum indies nouæ terrarum partes luſtrentur, quarum hi autores non meminerunt, nec tamē ideo culpandi: deinde etiam alia atque alia regionum nomina ſuboriantur, quod ſanè non paululum tenebrarum ſtudioſis offundit: demum quia iam nuper Globum cum ſummo labore ex autorum veterum deſcriptionibus, & Hiſpanorum Luſitanorúmque nauigationibus deliniatum ederemus, multóſque qui eius præclarum atque iucundū vſum ignorarent videremus: His inducti rationibus vno quaſi faſce non omnia, ſed præcipua autorum & veterum & recentium placita de regionum diſtinctionibus comprehendimus, vſúmque noſtri Globi (Laconiſmo quodam) explicuimus, ne Lectoribus aut emptoribus

ptoribus globi noſtri id eueniret, quod Gallo gallinaceo apud Æſopum, aut Graculo cum fidibus vt ſolet dici. Scio tamen futuros, vt ſuus cuique mos eſt, qui meam breuitatem culpabunt, alios qui omnium demonſtrationes deſiderabunt quorum hic mentionem facio: ſed eos triti iamdudum prouerbij meminiſſe velim, quod dici ſolet: Vt poſſumus, quando vt volumus non licet. Potuiſſem equidem diffuſiſsimè omnium regionum naturas, vrbes, & minima quæque ex diuerſis autoribus collegiſſe, variiſque figuris libellum exornaſſe, Verùm præſens inſtitutum aliud monebat: Nempe compêdio quodam cœlum cum terra comparare: ac vſum ſphæræ ſolidæ breuiſsimis præceptis manifeſtum reddere. Vbi ſi libuiſſet, Dij boni, quanta nobis erat aperta feneſtra digrediendi ac dilatandi quaſi in infinitum ſuſceptum opus. Sed hæc ex alijs colligenda dimittimus lectoribus, cùm extent paſsim multò plures de ijs rebus auctores, quàm antea enumerauimus, Ad quos ſanè legendos, nos viam ſtrauimus, ac fores patefecimus. Vale. Ex Antuerpia, XVII. Kalend. Octobris

M. D. XXX.

DE OR-

DE ORBIS DIVISIONE.

CAPVT PRIMVM.

ORBIS habitabilis portio, à veteribus omnibus in tres diuisa fuit præcipuas partes: scilicet Europam, Asiam, & Aphricam: quibus nunc quartam adiungimus cæteris non imparem, Americam. Europam licèt omnium minimam primùm describere solēt geographi, cùm ob frequentiores in ea cultores, tum ob præclara eorum gesta qui hanc incoluêre. Aliæ enim partes licèt maiores ac vastiores pateant, minus tamen sunt habitatæ, adeò quidē vt quæ de Asiæ maiori parte tradantur, fabulæ loco habeantur: Similiter de Aphricæ parte quæ in Austrum vergit. Americæ verò quasi Megarēsium nulla apud eos fuit mentio facta. Terminatur autem Europa vndiq; ferè pelago: ab occidentis enim parte oceanum habet occidentalem aut Vergiuum, deinde mare Cantabricum: à boreali, Aquitanicum & Britānicum: à septentrione Germanico alluitur oceano & hyperboreo: pars orientalis ab Asia Tanai fluuio dirimitur, qui ex montibus Hyperboreis prorumpēs in paludem Mœotidis decurrit. Idem hic fluuius à Barbaris Silis dicitur & Don. deinde palude

Europæ descriptio.

Tanais fluuius.

lude ipsa Mœotidis clauditur, postea Cimmerio Bosphoro, ponto Euxino: hinc Propõtide & Hellesponto: sequitur deinde mare AEgeum. Partem quæ Austrum aspicit mare mediterraneum ab Aphrica seiungit: quod varia tamen interim pro locorum, nationum, insularum, euentorumq; diuersa ratione nomina sortitur. Post AEgeum sequitur Mirtoum, deinde Lybicum vel Punicum, deinde magis in occidẽtem & boream mare Hadriaticum, vel mare Superum vel Venetum: Sub Italia mare Tyrrhenum aut inferum, Liguſticum, Sardoum, Siculum à Sicilia, Balearicum, ab insulis illius nominis: postea Ibericum ab Hispania, quæ græcis Iberia ab Ibero fluuio dicta fuit. Demum quod angusta via Iberiam à Mauritania separat mare, Herculeum fretum à geographis dicitur, nunc verò strictum Sibiliæ, vel strictum de Gibaltar. Hæc de Europæ descriptione aut circunscriptione animo hærere oportet, vt sciamus, & in promptu habeamus quæ regio, aut quis mons, cuius sit partis mũdi, si fortè aut scribere aut dicere aliquando animus fuerit, quod quidem Momi auribus dignũ erit. Figura autem continentis ipsius Europæ, draconis ferè effigiem reddit, cuius caput in occidentem spectat, & vtrinque in Austrum aduersam, q; partem alas expãdit, quæ sunt Italia, & Cymbrica Chersonesus.

Strictum Sibiliæ.

Partes

Partes autem Europæ præcipuæ sunt Hispania, Gallia, Germania, Italia, Rhætia, Vindelitia, Pannonia, Dacia, Græcia, Sarmacia, & cæt. Partes Europæ.

De Hispania.

CAP. II.

HISPANIA *quæ & Iberia, prima pars continentis undique oceano clauditur, nisi vbi Pyrenæi montes ipsam à Gallia separant ac disterminant, ab ortu videlicet: ab occasu enim habet oceanum occiduum: à septentrione Cantabricum: ab oppositâ parte mare mediterraneum, quod ibi fretum Herculeum & mare Balearicum appellatur. Ptolemæus hanc in tres diuisit partes, sicut etiam Strabo, & plerique veterum: scilicet in Bethycam, Lusitaniam, & Tarraconensem. Nonnullis in sex, aliis in quinque diuiditur partes: vt in Carpentaniam, Bethycam, Lusitaniam, Caleciam, Tarraconensem, & Cartaginensem. Nunc in octo ferè regna distincta est. Bethyca, aliis Betica, à Bethy fluuio vulgo Guadalquenir, qui mediam abluit, nomen sortita est: nunc regnum Granatæ vocatur. Disterminatur autem à Lusitania, fluuio Ana, qui nunc Guadiana dicitur: deinde recta linea ad Balearem vsque ciuitatem quam Bariam putant: reliqua latera mari occiduo &* Granata.

Herculeo freto includũtur. Hanc regionem Plin. lib. 3. *Italiæ confert, quòd pulchritudine regionis, ingeniorum fœcunditate, fructuum magnitudine facilè cæteras regiones antecellat: tum quia in vicino fortunatæ insulæ adsunt, tum etiam quia quarto climati subest, quod optimã ad omnia temperiem præstat. Hæc item regio Plinio in vlteriore Hispania continetur cum parte aliqua Lusitaniæ. Huic vicina est in mari occiduo non longè à*

Gades insula. *continenti insula fertilis oleastri Gades, gracis* γαδειρα: *Dionysio Cotynusa: Volunt aly dictam fuisse Erythream. Dicitur hodie Calix siue Calys. Lusitania à lusu Liberi patris dicta, habet à Septentrione Tarraconensem Hispaniam diuisam ab ea Durio fluuio: hinc linea ad Anam fluuium latus orientale finit: Anas verò fluuius meridionale: demum occidentalis pars oceano alluitur occi-*

Portugalia. *duo. Hanc nostra ætas Portugaliam vocat, quãquam limites eius nonnihil à veterum distinctione varient: vnde & hodie ad insulas Moluccas sub India sitas nauigatur. Vnicus in ea est mons lunæ, in latere occiduo situs, vnde promontorium Lunarium, Ponte de luna. Tarracionensis Hispania tertia pars, habet à meridie mare Balearicum, ex aduerso Cantabricum: ab occasu occiduum, & partẽ Lusitaniæ: ab ortu Pyrenæos montes quæ Galliæ obyciuntur. Tota hæc pars*

quinque

quinque iam regna complectitur, Gallitiam primam ab occidentali parte: regnum Nauarræ statim à Pyrænæis mõtibus ſupra Durium fluuium, qui & Dorias dicitur: Regnum Caſtellæ, alijs Caſtiliæ inter Gallitiam & Nauarræ regnum in gradibus longitu. 12 la. 42. Regnum Catelloniæ ſupra Baleares inſulas ad mare noſtrũ, ſiue Ibericum. Regnum Tarraconenſe, quod alij omiſſa vnica litera Aragoniæ dicunt, proximum etiam à mõtibus Pyrænæis, verùm ad partem meridionalem, ita vt mare noſtrum ipſum alluat. Quibus etiam Legionis & Toleti regna adnumerantur. Fluuij Hiſpaniæ partim dicti ſunt. Eſt præterea Tagus fluuius notus ab auri arenulis. Item Iberus fluuius, vulgò Ebro, ex Vindio monte in mare Balearicum progreditur. Idem mons nunc Ronciuallis dicitur & Rauanella. Demum ſub Tarraconenſi Hiſpania, duæ iacent inſulæ non longè diſitæ Baleares, quarum quæ magis ſpectat in occidentem, maior aut maiorica dicitur, reliqua minor aut minorica. Adiacet etiam Luſitaniæ Londobris inſula, quæ nunc cum alijs paruis inſulis Berlingæ dicuntur, longitudine 3. grad. latitudine 41. ferè.

Gallitia. Nauarra. Caſtellæ. Catellonia. Terraconia. Tagus flu. Iberus flu. Baleares. Maior. Minor.

De Galliæ terminis.

CAP. III.

DESCRIPTIS *Hispaniæ limitibus nō solùm secundum Ptolemæi, Plinij, Straboni aliorumq; scriptorū classicorum opiniones, verùm etiam secundum neoticorū assignationem, occurrit proxima Hispanis Gallia, cuius latus occidentale Pyrænæis montibus ab Hispania, oppositum Rheno fluuio à Germania disterminatur. Reliqua duo latera oceano & nostro mari includūtur. Atque hic fuit antiquioribus limes Galliæ. Nunc non eousque protenditur, verùm magna pars Germaniæ inferioris accessit: vt Hannonia, Flandria, Brabantia, &c. Cæsar omnem Galliam in tres diuisit partes, Aquitaniam, Celticam, & Belgicam. Aquitaniam distinxit à Celtis Garumno fluuio, Has à Belgis Sequana fluuio, Belgas demum à Germanis fluuio Rheno. Ptolemæus verò, ac posteriores Geographi quatuor adsignant partes Galliæ: scilicet, Aquitaniam, Lugaunensem, Belgicam, ac Narbonensem. Aquitaniæ fines describunt: ab occasu oceanus Aquitanicus: à septentrione & ortu Liger fluuius: à meridie tum Pyrænæi montes, tum etiam Narbonensis Galliæ. Distinguitur hodie in has prouincias, Auerniam, Guasconiam, Andegauiam, Borboniam,*

Diuisio Galliæ.

Aquitania.

Auernia.

niam, Armiacum, Barim. Populi verò eius sunt Bituriges, Vascones, Auerni, Lemouices, Pictones, Xanctones, & nonnulli alij. Lugdunensis Gallia finitur oceano Britannico à septentrione: ab occasu partim oceano, partim Aquitaniæ dictis terminis: ab ortu Sequana fluuio: ab austro Narbonensem Galliam habet diuisam ab ea Iura monte. Huius populi olim fuere Bellocassi, Cenomanni, Redones, Nannetes, Eburaci, Sennones, Carnutes, Parisij, Segusiani, Hedui, ac alij nonnulli. Nunc verò Normandiam ad partem orientalem & septentrionalem, iuxta Sequanam fluuium, continet. Normãdia. *Item Britanniam (cuius etiam Plinius mentionem facit) ad occidentem & boream: sub hac verò Turoniam, & populos Samnitas, Consopitenses, & Arubios.* Britannia. Turonia. *Belgica veterum descriptione à septentrione Britannicum oceanum: ab occasu Lugdunensem Galliam discretam ab ea flumine Sequana: ab aduersa parte Rhenum fluuium: deinde à meridie Narbonensem Galliam habet. Diuiditur nunc in plures prouincias, scilicet in Picardiã proximã à Sequana fluuio ad oceanum ferè Britãnicum:* Picardia. *In Campaniam* Campania. *deinde magis australem apud eundem fluuium: In Burgundiam, quæ ferè Narbonensem attingit Galliam apud fluuium Ararim qui Rhodano coit: in quo situ Pto. Mediomatrices, Lingones, Sequa-*

Sequanos, & Elueticos (quos nunc Suiceros vocant) posuit. Picardiæ loco Pto. Ambianos posuit, Atrebates, & Cameracenses. Pro Campania, Bellouacos, Vessones siue Suessiones, & proximos Renos, & Romanduos, hoc est Veromanduos collocauit. Continet autem Belgica plures alias prouincias quas nostra ætas Germaniæ attribuit inferiori, vt Flandriam & Hānoniam ad oceanum Germanicum, vbi Pto. Morinos descripsit, atque vt ait Volatera. Bellocasios. Postea in ortum ac Boream, Hollandiam: Cuius populum Batauos appellat Ptolemæus. Hinc redeundo versus Austrum Brabantiam habet loco quo Ptolemæus Tongros, ac alij Grudios collocant, sub gra. long. 26. min. quasi 30. lat. 51. min. 30. Deinde Geldriam ducatum, cuius incolæ & Sicambri & Ptolemæo Menapij dicti videntur. Hinc Austrum versus Luxemburgensis ducatus continetur apud Mosellam fluuium, quem Obrincum nominat Pto. Atque hinc etiam magis in Austrum Lotharingiæ ducatus est loco quo Ptolemæus Leucos & Tullenses descripsit, proximosq; Nemetos. Quibus etiam vicina est Alsatia vini optimi ferax, neque frumenti indiga, in gra. lon. 28. lat. 48. ferè. Hinc etiam atque etiam versus meridiem apud fontes Rheni atque Alpes, Suitia, siue Suiceri, veteribus Heluetij Marte clari. Hæ verò posteriores

Veromandui.

Hollandia.

Brabantia.

Geldria.

Lotharingia.

Suitia.

riores prouinciæ Germaniæ superioris sunt partes: Illæ verò, inferiores: cuius populi moribus ac linguis proximè accedũt ad Germanos: Imò vult Plin. hanc Galliæ partem per M. Agrippam populis transrhenanis occupatam fuisse. In hac Galliæ parte ingens est sylua (Arduennam vocant) 30. miliaribus ab austro in Septentrionem protensa, cuius medium habet gra. longitud. 29. min. 40. lati. verò 49. mi. 24. Sequitur nunc quarta Galliæ pars Narbonensis, quæ & transalpina Cæsari dicitur, ab occasu montibus Pyrænæis contenta: è regione Alpibus: à septentrione Lugdunensis & Belgicæ Galliæ parte: Ameridie mari Gallico. Continet nunc regiunculas, Prouinciam & Delphinatum apud Alpes & mare Ligusticum: Prouinciam maritimam prorsus, Delphinatum ad Rhodanum, magisq; ad Boream: Deinde magis in occasum vltra Rhodanũ fluuium: Longodocham, in quo loco Ptol. Tectosaces & Volcas describit: Demum apud Galliæ Belgicæ limites, Sabaudiam: cuius olim gentes Allobrogæ Ptolemæo dictæ fuisse videntur & Memini. Montes præcipui Galliæ sunt Cemeni vel Cameni, nunc Cauerna, in gra. long. 22. latitu. 46. Vogesus mons alpibus iunctus. Fluuij Garumpna, ex Cemenis montibus in mare Aquitanicum fluens: Liger ex eodem monte versus mare Britannicum: Sequana ferè ex Vo-

Arduenna sylua.

Prouincia.

Delphinatus.

Longodocha.

Sabaudia.

Cauerna mons.

Fluuij.

geso

geſo in Britannicum oceanum: Rhodanus ex Alpibus in mare Liguſticum, conſtituens interim lacum Lemanum ingentem, cuius accolæ Alemani ſunt, & regio Alemania dicitur. Scalda flu. quem Pto. Tabudam vocat, ex Veromanduorum regione ortus, variiſq; auctus & fluuijs & riuulis Antuerpiam præterfluens in mare Germanicū ſe exonerat. Cuius oſtio obiectæ partim ſunt, partim vicinæ inſulæ, Zelandiæ hodie vocatæ. In quibus ex ſalis apparatu quæſtum haud contemnendum faciunt incolæ. Creduntur olim cōtinentis fuiſſe partes: at nunc ita diuulſæ ſunt, vt vix aggeribus maximo ſumptu congeſtis ſe ab oceani impetu tueri queant. Sitæ ſunt in long. 26. gra. lat. 52. gr. 20. mi. ferè.

Alemania.

De inſulis Britannicis.
CAP. IIII.

GALLIÆ iamiam à nobis deſcriptæ: ſuperimminent à ſeptentrione inſulæ duæ Britānicæ, quarum quæ magis in occaſum vergit, Hybernia dicitur, hodie Iirlandt. Gens eſt immanis, ferox & inculta. Equos mittit oneribus ferendis quàm aptiſſimos. Hinc verſus Boreā ſita eſt inſula Iſlandia ad mare glaciale, cuius incolæ Ichtiophagi ſunt: habet autem latitudinē ab AEquatore tantam, vt Circulus Arcticus mediā ſecet,

Iirlandt.

Iſlandia.

fecet, hoc est 66. grad. cum semisse ferè: Longitudinem verò 8. aut 9. graduum. Sunt in ea montes perpetuò ardentes, qui tamen niuem in verticibus nunquam amittunt. Paret regi Norueg iæ. Albion insula Britãnica Hyberniæ ad ortum sita, naturaq; (vt ait Cæsar) triquetra, cuius latus imum contra Galliam est, habet à septentrione oceanum Deucalidonium, ab ortu Germanicum, ab austro Britannicum, ab occasu Vergiuum. Hæc insula iam nomine mutato in duo diuisa est regna, Angliam & Scotiam, limite (vbi arctior est) duorum plus minus passuum. Angliam autem ab Angilis Teutonorum populis qui eam occupârunt, nomen sortitam esse scribit Volateranus. Angliæ solum fertile est, maximè pecoribus alendis aptum. Vnde & lanificijs ditatur. Nam vt lupos non habet, ita oues plurimas alit. Mittit & stannum & plumbum: Habétque non solùm metallorum fodinas, sed & salis. Nec caret gemmis. Potissimùm verò Gagatẽ lapidem abunde profert. Mores, lingua, cultusq; Anglis Scotisq; non multùm dissimiles: Animorum tamẽ consensus rarus est. Huius item insulæ extremitati Aquilonari obiectæ sunt insulæ triginta numero, vocatæ Orchades, Regi Scotiæ subditæ: sub grad. longitud. 30. vt Pto. ponit. Verùm vt recẽtiores, 22. gra. cum semisse ferè. Latitudo circa medium

Anglia.

Orchades.

medium earum est 61. gra. ac paulò amplius. Sunt etiam inter Hyberniam & Scotiam plures insulæ

Ebudæ. *Ebudæ vocatæ: Quarum longitudo est 15. aut 16. ferè grad. latitudo 59. circa medium ipsarum. Por-*

Hetlandia. *ro & magis in Arctum Hetlandiæ insulæ ponantur non paruæ magnitudinis, circa latitudinem 63. ferè gra. longitu. quasi 15. An verò vna ex istis sit ea quæ Ptolemæo veteribusq; scriptori-*

Thyle. *bus dicta fuit Thyle, an potius ingens illa insula dicta Islandia, ego neque constanter affirmare, neque etiam prorsum negare ausim: eò quòd nūc nulla eo loco deprehēdatur insula, quo Ptolemæus statuit Thylen. Nec mirum adeò, quia nunc recentiores longè aliam faciunt longitudinem regionum, præcipuè circa Scotiam vicinasq; insulas, quàm Ptolemæus crediderit. Sed de his satis.*

De Germania.

CAP. V.

GERMANIA *cognomine magna, versus occasum Rhenum attingit: à septentrione oceano alluitur Germanico. Ab ortu Vistulam fluuium habet & Carpatum montem: Reliqua pars Danubio fluuio & Alpibus clauditur.*

Germania vnde dicta. *Dicta autem Germania eò quòd eius gentes germani siue fratres viderētur Gallorum. Regiones eius nominibus parum cum veterū descriptione*

nunc

nunc conueniunt. Pli. vniuersam Germaniam in quinque diuidit genera, Isthæuones proximos Rheno, deinde in Hermiones, Ingeuones, Vindelos, & Peucinos. Pto. in tres præcipuas diuisit partes, scilicet in Germaniam superiorem, Inferiorem, ac magnam. Illæ iam dictæ sunt. Restat tertia Germaniæ pars, cuius à septentrione circa Rheni ostia, prima regio occurrit Phrysia vel Frisia, nomen adhuc vetus retinens: Nunc in tres diuisa partes, occidentalem, orientalem, & mediam Grueningensem. Proxima est Saxonia sub Cymbrica Chersonneso, aut sub Danis, cuius populi proximi à Danis Saxones apud Pto. li. 2. dicuntur: reliqui verò Teutonarij, Cauchi, Angriuarij, &c. Habet deinde Saxonia ab occasu prope Rhenum flu. Busactores paruos, quos Pli. Isthæucnes appellat, & proximos Sycambros. Quorum loco nunc Geldriæ ducatus pars est cum Zutphaniæ comitatu, & proximis ciuitatibus. Sequuntur paulum ad Austrum magis Longobardi Casuari, Tenceri, & Incriones, eam incolentes regionem quæ nunc partim Hassia est, partim Vuestphalia. Alioqui Busactori maiores & Chæmæ Vuestphaliæ partem incolebant: & Chattæ, Hassiæ partem magis orientalē vsque ad Turingiā, quæ & à Casuaris colebatur. Hinc rursum ad Rheni latus magisq; in austrū, Intuergi, Var-

Phrysia.

Saxonia.

Vuestphalia.

Hassia.

Turingia.

Franconia. giones, & Carithni habitabant, quæ nūc Franconia creditur, nobilis Germaniæ regio, in lon. 30.

Misnia. ferè grad. la. 50. Misnia verò regio circa Albis fluuij ductum est, vbi Pto. Camanos & Tubantos designauit, sub grad. lon. 36. la. 51. Rursus apud

Sueuia, Rhenum & Danubij ortum Sueuia est nomē adhuc vetus retinēs, & Valesia circa Rhodani fontes inter alpiū iuga: illā nonnulli apud Albim flu. describunt: verùm Straboni nostra descriptio & hodierna respōdet. Pto. tamen Sueuorum situ statuit vbi nos Saxoniā descripsimus, apud Angilos & Lōgobardos. Huc vsque in Germaniæ descriptione à septētrione in meridiē inter duos fluuios Rhenum at q; Albim processimus: nunc eodē ordine regiones quæ sunt inter Albim & Vistulam fluuios percurremus. In quib. tamen enarrandis nostrā non prorsus adstringimus fidē: sed tantum dicturi, quantum coniectura adsequi licet, facta collatione nouæ descriptionis orbis cū Ptolemæi tabulis cosmographicis. Extremum igitur continentis in Arctos extēsum Cymbrica Chersonesus est: Cuius populi Cymbri, Charudes, Phunduſij, Cobandi, & Chali dicti sunt à Pto. nos verò vno

Dania. nomine Danos dicimus, & Chersonesum, Daniā, alij Iutiam & Holsatiam. Qui magis austrum & ortum spectant populi, Veruni sunt & Pharodini,

Mechelburgenses. Mechelburgēses à neotericis dicti, sub gr. lon. 37. la. 56.

la. 56. ferè. Deinde ad Vistulam vsque flu. Pome- Pomerania.
rania regio extenditur, quam incolebat olim Si-
dini & Ruticlij. Marca antiqua regio sic dicta Marca.
vltra Albim ponitur, Cuius populos Pto. Senno-
nes, Loccobardos, & Batinos appellat. Hus orien-
taliores Lutyburi sub Marchia noua continen- Marchia.
tur, in gra. lon. 40. ferè, la. 53. Sequitur ad austrũ
Schlesia & Vratislauia regiones sic satis agrorũ Schlesia.
vbertate prædita, quarum populi Dãduti & Co-
gni dicti sunt, sub gra. long. 40. lati. 50. & minu.
40. Inde ad Albis fontes occurrit Boëmiæ regnũ Boëmia.
montibus & siluæ Herciniæ parte intercluſum,
frumentiq; ferax, sub grad. lon. 36. minut. 20. lat.
49 mi. 40. In eodem ferè situ Pto. Boëmos descri-
bit, verum paulò magis versus Danubium flu.
Postea paulò plus ad ortum & Danubium Mo- Morauia.
rauia regio est in montes vsque Sarmaticos ex-
tensa, vini frumentiq; fertilitate gaudens. Huius
populi Marcomanni Pto. dicũtur, sub gra. lon. 40.
la. 48. & semisse. Hæc de Germaniæ regionibus
& populis maximè celebratis huc vsque. Montes Montes.
Germaniæ præcipui sunt: Alpes qui eam ab Italia
seiungunt, sub gra. lon. 30. la. 45. 46. & 47. Car-
pathus mõs sub gra. lon. 44. 45. 46. & 47. la 48.
Hic tamẽ non tã Germaniã occupat, quàm finit.
Abnobius mons sub gra. lon. 32. la. 51. ferè, qui
nunc Hassiæ sunt & vicinarũ regionum montes.

Est insuper Germania multis ac densissimis syl-
uis consita: Præcipua tamen vnde omnes aliæ or-
Hercinia sylua. *tum habere videntur, Hercinia sylua est, aut se-*
cundum Pto. Orcinium nemus, apud Abnobium
montem orta, & circa Boemiam, deinde per to-
tam Germaniam ac per Sarmatiam Europæ ser-
pens ad Hyperboreos vsque montes extenditur:
verùm interim diuersa pro diuersis regionibus
nomina accipit: in principio enim Nigra sylua di-
citur: deinde alia atque alia in successu admittẽs
nomina. Est item alia ingẽs sylua Semana à Ptol.
dicta, circa Thuringiam orta, & in diuersas etiã
partes Germaniæ diffusa: Quæ nunc Picearia di-
Fluuij. *ci videtur. Fluuij hi sunt: Danubius haud admo-*
dum longè ab Alpibus in nigra sylua, in longitu.
30. grad. lat. 48. gra. 10. mi. quasi ortus, multisq;
assumptis fluuijs sex ostijs in pontum Euxinum
erumpit. Rhenus ex alpibus in ea parte vbi Adu-
la est mons eminentissimus, in oceanum Germa-
nicum inter Phrysiam & Hollandiam tribus po-
tissimum ostijs egreditur. Obrincus flu. qui nunc
Mosella. *Mosella putatur, circa Vogesum montem fontes*
habens, Rheno coniungitur. Mosa etiam non long-
è à Vogeso ortus, itidem cum Rheno se admiscet
circa Brabantiam. Amasus per Phrysiam in
Vuestphalia ortus in mare Germanicum profluit.
Visurgus in Thuringia incipiens, in mare Ger-
manicum

manicum desinit. Hic nunc Besera dicitur. Albis fluuius prope Boemiam exortus, in mare Germanicum Daniam à dextris linquēs sese exonerat. Besera.

Sueuus fluuius, quem nunc Spre vocant, in montanis Boemiæ & Schlesiæ ortus, in mare Sarmaticum egreditur. Sequitur hunc ad ortum Viadus fluuius, aut Odora. Demum Vistula fluuius in montibus Sarmaticis ortus, Germaniam à Sarmatia disterminās, in mare Sarmaticum defluit. Hic etiam Isula dicitur Mela. Spre, flu.

De Sarmatia Europæ.
CAP. VI.

SARMATIA *Europæa, cuius gētes omnes cum Sarmatiæ Asiaticæ populis Scythas veteres vocauêre, deinde Sauromatas tantùm, quas nunc Sarmatas dicimus: ab Arctis habet mare Sarmaticum cum sinu Venedico, ab occasu Vistulam fluuium, secernentem eam à Germania, ab oppositā parte Tanaim fluuium cum palude Meotidis, deinde meridionale latus terminat Carpatus mons cum Sarmaticis montibus. Plurimas nunc continet regiones, Poloniam maiorem & minorem: illa à Pomerania ducatu incipiens vtrunque latus Vistulæ occupat, & versus occidentem ad Oderam fluuium vsque protenditur: huius gentes Vandali & nonnullis Vindali dictæ* Polonia.

fuerunt, sub gra. lon. 45. la. 52. Altera versus austrum in montes Sarmaticos & Carpatum montem incidit, proprium habēt regem, sub gra. lon. 44. la. 51. huius olim gentes fuēre Burgiones, Cistoboci, & Visburgi. Regiones autem sunt non multùm frequentes habitatoribus. Magis ad mare Sarmaticum in ora continentis post Pomeraniam ad ortum sita est Prussia regio frequēs habitatoribus, & pascuis pecoribusq; diues. Hic etiā Succinum, quod græci Electrum vocant, abunde colligitur. Incolæ olim Gothones siue Githones, Venedæ & Sudini dicti. quorum medium ferè habet lon. 47. 30. lat. 54. Sequitur versus orientē & meridiē Russia rubea vel Rhutenia, cuius gentes Roxolani Pli. dicūtur. Pòst ad Tanaim flu. Podolia. Hæ regiones mel & ceram affatim gignunt: populi verò earū à Pto. Cariones, Gillones, Amazobij, & Exobigitæ dicuntur, sub grad. lon. 55. la. 52. Huic Podoliæ connectitur Isthmo penitus arcto Taurica Chersonesus cōtra Achilleum promontorium Asiæ: inde nomen sortita, quòd quidem ibi boues primus aratro iungere tentauerit. Peninsula est, vt ex descriptione nostra videre licet, nunc minor Tartaria dicta, barbaris Gazaria, sub gra. lon. 62. la. 48. Deinde rursus ad Oceanum, paulòq; plus ad ortum sita est Littouia, quæ eadem Samogitia neotericis dicitur, vel Li-

Prussia.

Russia.

Podolia.

Tartaria minor. Gazaria.

vel Lituania: vbi Pto. Alauni Scythas describit & Sturnos. Idem Vbiones, Aribos, Scauros, Borusсos, qui hodie Prussiæ creduntur incolæ, & Voltas ad mõtes Ripheos locauit. Quanquam verò ij qui hodie regiones frequentius lustrârunt, negent illos hîc esse montes, sed vastas syluas: nos tamen locum notauimus in nostra descriptione, propter veterum autoritatem, scilicet inter Thuruntum & Chersinum flu. quorum ille ab aris Alexandri, aut à Tanai flu. ostijs in mare Sarmaticum delabitur. Hæc regiuncula Curlandia quibusdam est, non vsqueadeò ciuitatibus atque syluis consita. Hinc sequitur Liuonia vltima inter veteribus cognitas regiones Sarmatiæ, longè in septentrionem dissita, Hyperboreis proxima: Cuius populi Pagirithæ & Careotæ & Carbones. huius situs est in longitudine 63. graduum, latitud. 60. partium & 40. mi. Sequunturhinc in Arctos adeò extensæ regiones, vt etiam circulum Arcticum transcẽdant, quarum descriptio versus Germaniam & Sarmatiam reducta in Austrum peninsulæ figuram efficit. Et quanquam hodie regna habeat terna, ac insuper incolas admodum varios, lateq; in septẽtrionem effusos, ex quibus olim Gothi, Vuandali, ac etiã Huni credũtur prodijsse, qui Europã penè totã occupârũt: incognita tamẽ veteribus mãsit. Lituania. Samogitia.

Continet autem regnum Daniæ & Schandiæ sub lon. 38. lat. 60. Regnum Suetiæ in quo Gothia orientalis sub longitudine 45. grad. lat. 64. & 65. gra. Hîc & auri fodinæ extant. Regnum demum Noruuegiæ magis in occasum & Septẽtrionem circa longitudinem 42. gra. lat. 66. Hæ verò regiones magnis sinibus & fluuijs interciſæ longè excurrunt versus Septentrionem, vbi & Pilappi & Vuillappi habitant, homines admodum agreſtes. In orientali verò peninſulæ dictæ Finlandia eſt regio, hoc eſt pulchræ, nunc sub Sueciæ regno contenta. Terra plana fertilis & amœna, ſed frigida admodum, nempe quæ proximè circulum Arcticum attingit in longit. 53. ferè grad. lat. 65. Deinceps verò incultæ regiones ſequuntur & frigidæ adeò, vt perpetua ferè glacie cõcretæ ſint. Quò fit vt bella commodius hyeme quàm æſtate gerantur. Atque in æſtate menſem totum ſolem conſpicuum habent, quidam etiam diutius, pro ſphæræ inclinatione. Varia circumquaque monſtra viſuntur. Quin & cacodæmones varia ſub ſpectri ſpecie ſeſe viſui obijciunt, ac nonnũquam operam ſuam certo tempore locant. Adiacent his regnis inſulæ non exiguæ, quarum præcipua Zelandia eſt, in qua & regia ciuitas eſt Coppenhagæ ſiue Hafnia: ſub grad. long. 37. ferè, latitud. 57. grad. Ab hac verſus occaſum propè littora Cymbricæ

bricæ Cherſoneſi Fionia eſt, ſub long. 35. propè graduum: Latitudine 56. gra. 30. mi. Femara ſub long. 35. grad. 20. mi. latitud. 56. graduum. Lalandia in longitud. 36. grad. 30. mi. lat. 56. grad. 25. mi. Falſter inſula ſub long. 36. gra. 45. mi. latitudine verò 56. grad. 15. mi. Atque hæ poſtremæ propè iunguntur ſibi inuicem. Hinc lõgius in Ortum Olandia eſt vicina continenti Scandiæ ſub longitudine grad. 43. mi. 30. latit. 56. grad. 30. mi. Deinceps in ortum eſt Gottua inſula ſub lõgitud. 46. grad. 40 mi. latitud. verò 57. ferè graduum. Sunt & aliæ minores quas breuitatis gratia omiſimus. Mare ipſum in quo ſitæ ſunt prædictæ inſulæ, veteribus Sarmaticum, Neotericis Pontus fabuloſus dicitur.

De Rhætia, & Vindelicia.

CAP. VII.

RHÆTIA (*vt ait Volaterranus autoritate Trogi*) *à Rhæto duce Hetruſcorũ dicta, qui expulſi à Gallis in proximis Alpibus conſedêre, ab occaſu Heluetijs ſeiũctis ab ea monte Adula, qui ab Alpibus in Boream extenditur, deinde linea quæ coniungit capita duorum amnium Rheni & Danubij: A ſeptentrione Danubio vſque in gra. lon. 32. la. 47. & 10. minutorum: Ab ortu Lico fluuio, cuius finis auſtralior gradus*

habet 34 la. 45. 15. Ab austro alpibus finitur. Hæc olim tempore Augusti iure cum Vindelicia & Norico à Romanis possidebatur per quingentos penè annos. Nunc verò Sueui maximam partem occupant, & Alpium incolæ. Cuius etiam

Algauia. *pars est Algoia siue Algauia, & Brisgoia proxima Alpibus. Vindelicta ab occasu Rhætiam habet, à septentrione Danubium vsque in gra. lon. 34. vbi AEnus flu. ex Danubio in meridiē vergit, Noricum à Vindelicia disterminans iuxta orientale latus, meridionale latus alpibus terminatur. Huius nunc partem maiorem incolūt Bauari, vnde & regio Bauaria dicitur. Ptolemæus Boios appellat. partem quoque aliquam Sueui obtinent. Sequitur Noricō inter AEnum fluuium & Ceciū montem qui ab Alpibus in Septentrionē longè protenditur: ab Arctis Danubio terminatur: ab Austro verò Alpibus & Carauanca monte. Huius quoque incolæ occidentaliores Bauari sunt: Regio non æquè vini ac frumenti ferax. sub lon. 36. gra. 30. mi. lat 47. ferè graduū. Ab hac inter alpes Tyrolensium regio cōtrà ma-*

Pannonia. *gis vini quam frumenti ferax. Pannonias duas descripsit Pto. Superiorem ac inferiorem. Illa ab occasu Norico: à septentrione Danubio: ab ortu Pannonia inferiori clauditur: quæ ab eadem distinguitur linea quæ per 41. gradus longitudinis*

Danu-

à Danubio ad mõtem Bebium ducitur. Mons autem hic Bebius ab alpibus versus Græciam procedit. Hæc eadem est quam nunc Austriam dicimus, regio non inamœna, fontium, piscium, ac lignorum copia nobilitata, sub grad. lon. 30. latid. 47. Pars deinde quæ alpibus coniuncta est Styria dicitur regio ferri diues, atque etiam argenti fodinis non penitus orbata. Ab hac verò plus in occasum vltra Cetium montem Carinthia est & Forum Iulij ducatus, regiunculæ, eò quòd alpibus proximæ sint, aquosæ: niues enim quæ inter alpes copiosissimæ sunt, cùm calore solis resoluuntur, aquæ magnam vim in has regiones mittunt. Pannonia inferior ab occasu præscripta linea disterminatur, à septentrione & ortu Danubij parte; deinde Bebij montanis: dicitur nunc ferè tota Hungaria, ab Hunnis, qui æstum maris fugientes, ex Sarmatia Europæ huc aduentasse feruntur: eius regionis rex inclytus Ferdinandus, quinti Caroli Imperatoris frater, & Christianæ fidei propugnator & athleta strẽnuissimus, continuè sumptibus ac laboribus inenarrabilibus bellum gerit aduersus Turcas, qui tantis viribus in has regiones irruunt, vt ægre resistere possit: imò totam hanc regionem ferè vastam nostro æuo reddiderunt, cùm magna copia vsque ad Viennam vrbẽ nobilem Austriæ, nostrę

Austria. Styria. Carinthia. Forum Iulij. Hungaria.

nostro magno timore & accolarum destructione miseranda peruenerant, vnde tamen Dei auxilio & Christianorum præclara & memoratu digna victoria profligati sunt. Huius demum Pannoniæ pars quæ Dalmatiæ coniungitur & montibus, Croatia regio dicitur. Dictæ autem iamiam regiones à Ptol. seorsum descriptæ, nunc à nonnullis Germaniæ annumerantur: nam & germanica lingua vtũtur, & moribus non sunt dissimiles. Montes verò & Fluuij earum inter describendũ, enarrati sunt. Illyris vel Liburnia duobus ijs ex æquo nominibus vocata, nũc vocatur Sclauonia, Ptolemæo etiam Dalmatia, quam Glareanus seorsum versus meridiem & ortũ describendam censet. Cingitur hæc ab occasu Histria, à septentrione vtraque Pannonia siue Austria & Hungaria, intercedente monte Bebio, qui deinde mutato nomine Sardonius à Ptolemæo dicitur, partemq; ortũ aspiciẽtem à Mysia superiori diducit: reliquũ latus mari Hadriatico aut Supero alluitur. Populi sunt inculti & inertes, nisi quòd bello apti sint, qua in re nobis aduersus Turcarũ impetum non paruo sunt adiumento. Dicti sunt olim Delmatæ à Delminio, quem Scipio Nasica Cons. deuicit, hinc Dalmatia: deinde Sclaui vel Sclaueni ex gẽte Scythica quæ Illiricũ occupauit, & hinc Sclauonia, subest gra. long. 42. lat. 44.

Croatia.

Sclauonia.

Dalmatia.

Nominis ratio.

De Ita-

De Italia, & Insulis vicinis.

CAP. VIII.

ITALIA *cùm omnium regionum celeberrima, tum etiam fertilitate soli nulli posthabenda: cingitur ab occidente mari thyrreno, quod etiam inferum dicitur: à septentrione alpium iugis: ab ortu mari Hadriatico Veneto vel Supero: reliquam verò partem Ioniũ mare & Lybicum alluunt. Strabo eam tybiæ demortuĩ hominis, Pli. querno folio adsimilat. Dicta autem est ab Italo rege. Gel. lib. 11. ex Tymæo & M. Varrone dicit à Græco vocabulo* Ἰταλοὶ *quod boues significat dictam esse, quorũ ibi copia fuit. Trogus Saturniam appellat, Liuius Ausoniam, Dionisius Oenotriã, demum Ver. Hesperiam magnam in differentiam Hæsperiæ. i. Hispaniæ. Pars eius alpibus proxima, Gallia cisalpina & togata dicta fuit, cùm altera, Gallia Transalpina & Brachata diceretur. nunc Longobardia dicitur, regio fluminibus & lacubus innumeris exornata: huic attinet etiam regiuncula Venetia & Teruisa apud sinum Hadriaticum. Populi Taurini Cenomanni & Insubri secundum Pto. Regionis medium est sub gra. lon. 31. mi. 30. la. 44. & 30. minutorũ. Sequitur in Isthmo Italiæ Flaminea regio, quæ & Romandiola & Emilia & Liguria dicta fuit: alij partem Longobardiæ*

Longobardia.

bardiæ faciunt, sub gra. long. 32. & semis, la. 43. & semis. In medio verò Italiæ Tuscia regio & Latium cuius est Roma, populi Aborigenes, Rutili, Volsci, Hernici, Equi. Tuscia eadē & Hetruria dicta fuit, regio omnium rerum fertilis ferè quæ ad vitam necessariæ sunt: habet gradus lon. 35. latit 42. & semis. Item Vmbria, cuius gentes Vmbri & Sabini, propius ad sinum Hadriaticum vltra Apenninum montem sitæ sunt: vocatur nunc Ducatus Spoletanus, sub gra. lon. 36 la. 43. Picenum Marchia Firmiana nunc Anconitana, sub gra. lon. 36. & semis, lati. 43. graduum. Campania Latium sequitur, sub gra. lon. 30. mi. 40. la. 41. dicitur nunc Terra laboris, regio vt omnis Italia multarum rerum fertilis. In extremo Italiæ Apulia regio & Aprutium, vbi Pto. Altolos descripsit, regiones auri, argenti, frugum, vini, oleiq; ditissimæ, sub gra. lon. 41. & triente, la. 40. Deinde Calabria Fauonios & Siciliā respiciens, sub lon. 40. grad. & semis, la. 39 & semis. Demū vt semel finiam tota Italia adeò est vrbibus consita, tam est cœli temperie præcita & frugifera vt facilè omnem Europæ prouinciā superet. Mōtes Italiæ præcipui hi sunt: Primùm Apenninus ab alpibus exorsus totam Italiam airimit perinde atque spina tergum hominis, hinc omnes alij oriuntur, quorum est Garganus in Apulia diui

Tuscia.
Vmbria.
Spoletani.
Anconitana.
Campania.
Apulia.
Calabria.
Montes.
Garganus.

Michaëlis

Michaëlis miraculo celebris. Vesuuius mons igniuomus Campaniæ. Eiusdem est Phalernus mons Phalernus. *vini fertilitate celebris. Fluuij etsi multi sunt, non tamen adeò celebres: Præcipui sunt Tyberis fiu. ex Apennino per Romã in mare Thyrrenum decurrens. Padus siue Eridanus ex alpibus tribus ostijs in sinum Hadriaticum egreditur, Italiæ etiam attinet Istria, aut tantùm vna pars, reliqua Sclauoniæ tribuitur: lingua vtuntur Italica. Habet hæc ab occidẽte Galliæ Cisalpinæ partem, à septentrione Rhetiam, ab ortu Illyridem siue Dalmatiam, deinde mare Hadriaticum, sub grad. long. 37. la 45. & triente.*

De Sicilia, Corsica, Sardinia, &c.
CAP. IX.

ADIACET *Italiæ à sinistris, si arctos aspicias, insula Sicilia nobilis à fertilitate soli, & monte AEtna memorabilis, qui perpetuis flagrat ignibus.* AEtna. *Habet autẽ ab occasu Thyrrenum mare, & à septentrione: ab ortu Ionium & Italiam, deinde mare africum. Dicta fuit Sicilia à Sicanis Hispaniæ populis, qui ferè primi eam incoluêre, & adhuc partẽ, quæ occidentem respicit, incolunt.* Nominis origo. *Habet autem tria promontoria autoribus trita, & hinc Trinacria fuit dicta. appellãtur hoc modo: Pelorus Italiã & septentrionẽ aspicit,*

aſpicit, Lelibæum occaſum, Pachynus Græciam, vnde quidem naues ex Carthaginenſium portu prodeuntes videri potuiſſe fertur. Hic regem egit

AEolus. AEolus, qui vētorum Deus habitus fuit. Cyrnos

Corſica. à Græcis dicta, Latinis Corſica ſub grad. lōgitud. 31. latitud. 40. & 40. minu. inſula vini fertilis,

Sardinia. agrorum q̄ fertilitate prædita. Sardinia ſub Corſica verſus Africam, agrorum fœcunditate ipſa Corſica beatior, habet grad. longitu. 31. lat. 38. Hæc, quia plantam humani pedis ferè refert, Ich-

Ichnuſa. nuſa dicta fuit: ἴχνος enim veſtigiū ſignificat. In ſtricto mari quod inter hanc & Corſicam interfluit, inſulæ ſunt paruæ cunicularię à Plinio dictæ. Ab hac Sardinia profectum eſt adagium, Sardonicus riſus. Herbam enim quandam profert lappæ ſimilem, qua veſcentes ridendo emo-

Pharus. riūtur. Sunt etiam in ſinu Hadriatico plures inſulæ, quarum præcipuæ ſic dicuntur: Tragurium, Arba, Pharus, vel Parus, aut Pharia Ptolemæo, circa gradus longitu. 36. & minu. 30. latit. 44. &

Liſſa. ſemis. Deinde Liſſa vſque ad noſtra tempora ſic dicta. Item Chiſſa ſecundum alios Giſſa, quæ nūc

Meliten. putatur Pago dici, ſub lon. 38. lati. 41. Melitē quæ apud Ptol. Meligina, vnde canes Melitei, hodie Maltha, ſub longi. 40. grad. mi. 40. lat. 43. & ſemis. Apſorrus quæ nunc Querle videtur, ſub longitud. 42. & latitud. 42. Alſyrtides inſulæ paruæ,

paruæ, ſub longitud. 43. latitud. quadraginta vnius. Portunaca quæ & Vigilia, ſub longitu. 44. latitu. 41. & viginti minutorum.

De Dacia, Iazygibus, & Myſijs.

CAP. X.

IAZYGES *metanaſtæ, quorum regio hodie Septem caſtra dicuntur, inter Danubium occiduum & Tibiſcum orientalem, & inter Sarmaticos montes continetur, Carpato monte auſtralior, nunc Germaniæ adjcitur, in gra. lon 45. & 30. mi. la. 48. Dacia ſequitur orientale latus Iazygium poſt Tibiſcum fluu. Regio ingens & vaſta, cuius gentes Pto. Baſtarnas & Getas dicit. Plí. eas à Romanis Dacos, à Græcis Getas appellari autor eſt: alij Dacos occiduos eſſe, Getas orientalem plagam incolere contendunt. dicitur nunc Vualachia, ſub lon. 51. lat. 48. & Tranſyluania, ſub lon. 50. grad. latitud. 49. ferè. Cingitur autem Dacia ab occaſu Iazygibus, & Tibiſco fluuio. A ſeptentrione Sarmatia Europæ. Ab ortu Danubio, qui hinc Iſter dicitur & ſex oſtijs in pontum Euxinum exit. A meridie rurſus Danubio. Myſia duplex eſt, Inferior quæ nũc Bulgariam, Boſſinam, & Raſciam regiunculas complectitur, ſeptentrionalior eſt ſuperiori. Ab occidente habet Vualachiam, Ab ortu põtum Euxinum, A ſeptentrione*

Septem caſtra.
Tibiſcus.
Vualachia.
Tranſyluania.
Bulgaria.
Boſſina.

trione Sarmatiam, deinde Thraciam. Moësiam dici contendit Volaterranus: eam verò quæ est in Asia Mysiam. medium huius regionis habet gra. longitu. 55. latitu. 47. Ptole. has adsignat nationes, Bulensios, Epiarensios, Triballos, Troglodytas, Peucinos inter ostia Danubij, qui hic Ister (vt diximus) vocatur. his autem ostijs obiecta est Peucen insula. Mysia superior à septentrione Danubio & Dacia, ab occasu Dalmatia, ab aduersa parte Thracia, deinde Macedonia claudit ur. Eius gentes Ptole. lib. 3. enumerat, qui sunt Tryconesij, Pycensij, & Darsani. nunc partim Bossina dicitur, & Zeruia: partem q. Rasciæ complectitur. sita est sub long. 47. graduũ & semissis, la. 44. ferè.

Mysia.

Bossina. Zeruia.

De Thracia, & reliquis Græciæ partibus. CAP. XI.

THRACIA *nunc Graciæ portio, quæ & Sython dicta fertur, circumscribitur hoc modo: Ab arctis Istro flu. & Mysia inferiori, ab occasu Mysia superiori, ab ortu solis Ponto & Propontide, à meridie mari Aegeo. Eius gẽtes sunt pugnaces & feritate præditæ, dictæ Bessi, Odones, Odrysij, & Bryges, qui deinde transeuntes in Asiam Phryges dicti sunt. Montes habet insigniores, Aenum & Rhodopen: hi nostris dicuntur Cathena mundi. Flumina sunt Nesus & Hebrus*

Cathena mũdi mõs. Fluuij.

Hebrus in mare Aegæum: Bythinus & Athyra in propontidem sese exonerantes. Medium regionis habet gradus lon. 54. lati. 42. & semis. Adhæret Thraciæ pars quæ propriè Chersonesus dicitur, in qua est vrbs Sestus & Calipolis. Macedonia in medio duorũ marium, Ionij ab occasu, & Aegæi ab ortu continetur. Latus autem septentrionale, partes Dalmatiæ, Mysiæ superioris, & Thraciæ terminãt: Reliquum Epirus & Achaia. Pars eius, quæ inter montes Camelæos & mare Ionium clauditur, Albania dicitur, cuius est Dirrachium emporium nobile. Sequuntur hinc versus ortum Orestæ populi. Annumerant alij plures harum regionum prouincias, vt Pelasgiam, Aemathiam siue Pharsaliam, quarum Lucanus sæpe mentionem facit: nam hîc ferè conseruêre manus Pompeius & C. Cæsar. Item Calcidicam, Pieriam Stimphaliam Ptole. & alias incerta ferè designatione. Volaterranus Edones popu. adsignat ad partem orientalem statim à Thracia, vnde sinus Edonicus nomen habet. Idem Peones adsignat mediterraneos. Omnia autem hæc sub Græcia continentur, nunc Turchia: Regiones sanè non infœlices: auri enim argentiq; venas habent. Sunt q; multùm autoribus decantatæ. Medium earum est sub gra. lon. 47. 30. lati. 40. Thessalia apud Pto. sub Macedonia conti-

Chersonesus.

Albania.

Dirrachiũ.

AEmathia.

Thessalia.

netur, ab alijs tamen sigillatim describitur. Est igitur pars Macedoniæ vel Græciæ, proxima Epiro & Achaiæ, vndique ferè montibus theatrali (vt ait Plin.) modo inflexis cincta. Ab oriente Pelion & Ossam poëtis celebratos habet montes. Ab aquilone Olympum, ab occidente Pindum: ex quo Peneus amnis meatiam secãs regionem, præter Ossam in AEgæum mare prolabitur. Deucalion Pyrrheam appellauit, vt ait Strabo: Hemon verò Hemoniam: Eius filius Thessalus Thessaliã. Huius est Emonia regio & ciuitas: Item AEthices gens, Demetrias regio ab euictore dicta, Dolopes à Mercurij filio, Lapithæ populi, Myniæ,

Montes. Malienses, Pelasgi, AEstioti, & cæt. Montes Macedoniæ præclariores, quibus ferè tota cingitur, at q; ob id crebris laborat terræmotibus, sunt Candauiæ vel Camelæi ab occasu: Bertiscus Ptolemæo, à parte Thraciæ. Cittarius qui à montibus Achaiæ in septentrionem assurgit. Athos mons in promontorio maris AEgæi. Mediterranei verò, Olympus mons altissimus, & Pelion. Item Pindus, iuxta Epyrum cum Othry. qui Lapitharum sedes fuêre, vt ait Plin. lib. 4. Sunt item Ossa, &

Pieris. Pieris, & Oëtha, vnde Sperchius flu. inter Macedoniam & Achaiam transiens, in mare AE-

Fluuij. gæum exit. Sunt præterea fluuij Strimon, Axius, Erigonõ, Demũ Peneus amnis: hic, (vt ait Plin.)

ortus

ortus iuxta Gomphos, inter q̃. Ossam & Olympum nemorosa conualle defluens 50. stadijs dimidio eius spatio nauigabilis, deinde in sinum Thermaicum egreditur. Hac est illa Macedonia (vt idem Plin.) terrarum imperio potita quondam: hac Asiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, AEgyptum, Taurum, Caucasum transgressa: hac in Bactris, Medis, Persis dominata, toto oriente possesso: hac etiã Indiæ victrix, per vestigia Liberi patris, atque Herculis vagata: hac eadem est Macedonia, cuius vno die Paulus AEmilius imperator noster 72. vrbes direptas vendidit.

De Epiro, Achaia, & Peloponneso.

CAP. XII.

EPIRI *termini sunt, Albania & Thessalia descriptæ ab aquilone, mare Ionicum ab occasu: linea verò à monte Oetha ascendens ad ostium Acheloi fluuij, ab ortu: reliquum latus mari circumscribitur Ionio. Regiones eius particulares sunt Chaonia montana apud Ionium pelagus: Thesprota mediterranea: deinde Cassiopeia & Acarnania versus Achaiam. Gentes sunt Dolopes, Tymphæi, Amynæi, Amphioli, Cassiopi, Molossi, vnde tota Epirotarũ regio Molossa: Item Amyctæ, Argyriui & Chauni apud montem Oe-*

tham: vnde Achelous fluuius originem sumit.

Montes. Montes AEpiri, Acroceraunia ab Ionio pelago imminentia: Pindus à parte Thessaliæ: Leucathes vel Actium promontorium versus peninsulam.

Fluuij. Fluuij, Achelous qui ex monte Pindo in mare Hadriaticum descendit: Acheron versus Corcyram insulam incedit: Aractus inter duos transit.

Achaia. Achaiam describit Pto. li 3. ca. 15. habere ab occasu Epirum, ab aquilone Macedoniam secundū limites præsc. ab ortu autem partem AEgæi maris, à meridie mare Hadriaticum, deinde Isthmum & mare Creticum. Pars Græciæ est, nunc Turciæ attinet: Regiones eius particulares sunt, AEtolia ab AEtolo Endymionis filio: hæc sita est apud Acarnaniam intercedente Acheloo fluuio. huius AEtoliæ gentes Ephyri, AEnienses, Dolopes, Atraces. A quibus Atrax amnis Ionio mari infunditur. Sub Achaia etiam Pto. comprehendit Locros vel Locrēses, quorum regio Locris: idem Ozolæ vel Epicnemidij cognominati sunt: siti apud sinum Corinthiacum, cuius est Castalius fons, amnis Cephisus, oppidum liberū Delphi. Post Locrēses ad ortum adiacent Phocenses & Phocis regio: & Dryopes iuxta parnassum montem. Bœotia in medio Achaiæ, Doris. Postea Megaris & Megarenses in prouerbijs triti: huius situs est ab Isthmo ad ortum. Extremum autem Achaiæ versus

AEtolia.

Locris.

Phocis.

Megaris.

ortum

ortum occupat Attica, in qua Athena vrbs præ- Attica.
clara. Montes Achaiæ, Callidromus, qui deinde Montes.
Corax. Parnasus mons biceps, vt testatur Persi.
Citheron musarũ habitatio, vbi Orpheus cantare
solebat. Fluuy, Euenus flu. ex Callidromo ortus Fluuij.
versus ortum Cephisi nomen accipit: Hic idem
ad ijsdem montibus ortus, cum Asopo & Ismeno
flu. in mare AEgæum delabitur. Peloponnesus,
Apia, Pelasgia, Danaa, & peninsula appellata, nũc
Morea dicitur: haud vlli terræ nobilitate post fe- Morea.
renda, inter duo maria Ionium & AEgæum con-
tenta, angusta ceruice Achaiæ connexa, duobus
vtrinque sinubus, quorum occiduus Corinthia-
cus, oppositus Saronicus. Regiones continet mul-
tas, quæ sunt, Corinthia statim ab Istmo, in qua
Corinthus, Ephyra siue Heliopolis ciuitas nobilis, Corinthia.
vnde prouerbium, Non cuius homini contingit
adire Corinthũ: & Κορινθιάζειν, lasciuire: Deinde Sicyonia.
Sicyonia regio inter Corinthum & Achaiã pro-
priè, proximè sequentem in eadem peninsula: in
hac multæ oleæ. Mesenia verò ad occasum solis & Mesenia.
meridem peninsulæ vergit: Supra quam Helida,
Helis, vel Hellas regio. In medio verò peninsulæ Hellas.
Arcadia, ab Arcade Iouis filio dicta: eadem Arcadia.
& Parrhasia, Lycaonia, Azania, Pania, &
Pelasgia appellata fuit: Regio montuosa, & quæ
asinos præstantes mittit. Post hanc versus ortum

Lacedæmonia. *solis & meridiem Laconica vel Lacedæmonia.*

Argia. *In ipso autem Isthmo Argia, vnde Argiui & Argi: hac etiam Doricum Hippium & Dixium appellata fuit.*

Montes. *Montes Peloponnesi Pholoë, Stymphalus, Minoë, Taygeta: qui ab Aquilone per occasum in austrum tendunt, imitando literam C: ab altera parte scilicet orientis Cronicus mons,*

Fluuij. *& Zarex. Fluuij, Asopus, in sinũ Corinthiacum ex Cronico profluens. Syos, ex Pholoë in eundem sinum. Aphæus amnis per mediam peninsulam in mare Ionium, interim congressus cum Paniso flu. qui idem in Austrum digreditur. Postremò Inachus flu. cuius fons in Stymphalo monte, ostium ad mare Creticum.*

De Insulis maris Ionij, & Ægei.

CAP. XIII.

PRIMVM *ab Ionio pelago incipiemus, in quo apud Epyrum Corcyra insula, nunc Cor-*

Corfuniũ. *funium: sedes Pheaciũ, ad quos Vlysses naufragium passus, appulit. habet grad. longitud. 45. 36. latitud. 37. 45. Cephalenia, quondam Melena, apud sinum Ambratium. longitu. 47. 40. lat. 37. Ericusa, sub gra. lon 46. 40. la. 38. Echinades, ab Echinorum copia, apud sinum Ambratium, lon. 48. 10. lati. 37. 15. Ab hac versus austrum parua insula Ithaca, in qua mõs Nerithus. Zazynthus,*

à Dar-

à Dardani filio Zazyntho, hæc etiam Hyriæ, sub gra. lon. 47. mi. 30. la. 36. 30. Apud hanc parua insula Letoia versus occasum. Apud Peloponnesum Strophades duæ ab alijs Plotæ dictæ, sub lon. 47. 30. lati. 36. Spasia vel Spagia (vt habet Plinius) sub lon. 48. latitu. 35. Cythera antea Porphyris, sub longi. 50. latit. 34. 40. AEgina antea Oenone sedes Myrmidonum in sinu Megarico, sub gra. lon. 2. mi. 20. lat. 36. mi. 45. Ab hac versus austrum parua insula Salacis. Hîc obiter notandum volo, quòd in adsignatione longitudinis & latitudinis regionū, primus numerus significat longitudinem, alter latitudidem: Si verò prior duplex reperiatur, prior pars gradus, altera minuta valebit: si verò vnicus in priori ordine sit numerus, gradus significare certum est. Similis est ratio de posteriori ordine siue latitudine. Sequuntur nunc insulæ maris AEgæi, quarum maxima Creta, quæ nunc Candia dicitur, terminatur à septentrione Cretico mari à meridie Punico, ab ortu Carpathico, extensa in longum 270000. pass. Habet multas præclaraſq; ciuitates. 100. enim vrbium clara fertur: hinc ἑκατομπόλις dicta fuit ab Homero: Mittit vinum optimum: Habet montes insigniores Idæum vel Idam, Leucos, Cadiscum, Dictam vel Dictæum. Fluuios, Masaliam, Helectram, Lithæum, & Pycnum. Medium

Candia.

Montes.

insula est sub longitud. 54. latitud. 34. 45. Cretæ adiacent insulæ plures: Claudos ab occasu, longitu. 52 30. lat. 34. Latoa versus austrum, longitud. 54. 30. latitudinis. 34 30. Dia insula ab Arctis. Plinius Driam vocat, longitud. 54. 30. latitud. 35. 40. Cimolis insula ad orientem solem longitud. 55. 30. latitud. 34. 30. Melos non longè à Dia, sub longitud. 54. latitud. 35. 30. Quæ apud Achaiam describuntur. Euboëa insula satis magna, plus tamen in longum quàm in latum protensa: Hodie Negropontus dicitur, Turcorum q. imperio subest. Habet autem gra. longitud. 53. 40. latitu. 38. 15. In ea aquæ calidæ reperiuntur Hellopiæ dictæ. Ab hac versus Cretam & Achaiam, Thera, sub lon. 54. latitu. 36. 25. Plus ad Arctos Cia & Chy insulæ non longo dissidentes interstitio, sub grad. lon. 54. 25. latitu. 37. Theramia, sub lon. 54. 45. latit. 36. 18.

Negropontus.

Cyclades.

Sequuntur dehinc plures insulæ in orbem collatæ, vnde nomen traxêre Cyclades, quarum præcipuæ hæ sunt: Delos à mercatu & templo Apollinis celebrata, omnium q. Cycladum longè nobilissima, vbi primùm ignem repertum esse autor est Plin. Olearos, quæ primò Pactia, postea Minoida appellata, marmore clara. Cythnos, Rhena, Myconos, cum mõte Dimasto: Item Andros, Tenos, quæ propter aquæ copiam Hydrusa dicta fuit, Scyros, Paros, Subium, Syphnus, antè Meropia, Naxos: harum

harum omnium medium est sub gra. longit. 55. latitud. 36. 8. Sequuntur hinc versus Thraciam Sporades, sic dictæ, quòd in mari sint sparsæ. Sunt autem Helena, Phocusa, Hecaria, Schinusa, Pholegandros, & Naxo, circa grad. long. 56. latitud. 37. & semissis. Adiacet Thraciæ Lemnos insula Vulcani fabulis clara, & cuius fœminæ una nocte facta conspiratione omnes maritos à bello reuersos occiderunt: habet grad. long. 52 30. lati. 41. Ab hac versus Achaiam Sciathos sub longitu. 52. 10. la. 39. 15. Peparuetos insula & ciuitas, long. 52. 30. latitu. 39. 30. Scopelos habet long. 52. 30. latitu. 39. 20. Demum Scyros insula, sub lon. 54. lat. 39. Plures sunt in hoc mari paruæ insulæ quas tum ob multitudinem omisimus, tum etiam quia nõ multis authoribus decantatæ sint. Partem tamen in Asiæ descriptione enumerabimus. Huc vsque de Europæ descriptione. nunc de Aphrica.

Sporades.

Lemnos.

De Aphrica.

CAP. XIIII.

APHRICA *quasi sine frigore (φρίκη enim frigus significat) dicta putatur: apud alios Africa scribitur: à Græcis Lybia & Hesperia appellata fuit: Ea freto Herculeo, & linea à mari rubro in mare mediterraneum extensa, ab Europa & Asia diducitur. Reliqua pars*

Mauritania. *pars omnis oceano alluitur. Diuiditur primùm in Mauritaniam, quæ ab occiduo mari, & mediterraneo incipiens, in duplicem diuiditur Mauritaniam, Tingitanam scilicet, & Cæsariensem. Mauritania Tingitana ab occasu oceano clauditur, à septentrione mediterraneo mari, ab oriente Malua fluu. à meridie Atlante maiori monte: huius populi quondam fuêre Masices iuxta columnas Herculis, deinde Cauni, Marensij, & Herpesigani. Nunc regnum Fessæ continet, & Fessam vrbem, iuxta gradus longitud. 7. grad. latit. 34. & semissis: in hac est Abyla mons, vna de columnis* Fessa. Simica. *Herculis, quam Hispani Simicam appellauerunt, eò quòd simiarum copia circa hunc locum reperiatur. Altera est Mauritania Cæsariensis, quæ ab ortu Ampsaga flu. terminatur, à meridie Atlante monte. Sumpsit nomen à Cæsarea ciuitate, sicut & illa à Tingi dicta fuit. Eius gentes sunt Taladusij, Nacbusij, Aquensij, Myceni, Metagonicæ, Socossij, Volibiliani, Durdi: Omnes autem harum regionum incolæ, Barbari, & ipsæ regiones* Barbaria. Aphrica. *Barbaria dicuntur. Aphrica minor deinde sequitur post Ampsagam fluuium, vsque ad Cyrenes extensa. Huius ea pars quæ proxima Mauritaniæ est, Numidia dicitur, Massinissæ clara nomine. Numidarum autem ortum scribit Salustius ex Persis esse & Medis, de quibus postea sermo erit.* Numidæ Numidia.

Numidæ verò Nomades appellati fuerũt, eo quòd huc illucq; mapalia sua plaustris circunuehentes oberrarent. Reliquæ Aphricæ gentes sunt Massyli, & regio Massylia, quæ equos præstantes mittit: Massylia. *deinde Lotophagi, qui Lotę genere arboris victitant, quod fructus fert fabæ magnitudine, crocei coloris, saporisq; tam delectabilis, vt aduenis obliuionem patriæ inducere, fama sit: horũ situs est apud Syrtim minorem. Sunt præterea Syrteſij, lõtij, Medemi, Nicłij, Eleones, Misulani, Nattabutæ. Versus interiora Saburbures, Bazacites, Zetæ, Mimaces, Astacures, Eropæi, Dolopes, Nycpij, Macæ, Sigiploſi. Nihil harum regionum insigne, præter marmoris Numidici ferarumq; prouentum: præterea circa Bizantium terra tantæ est fertilitatis, vt agricolis cum centeſima fruge fœnus reddat: Libyphœnices vocãtur qui hanc partem incolunt. Sequitur ad orientem poſt Syrtim maiorẽ Cyrenaica vel Cyrene versus Marmaricã* Cyrene. *& AEgyptum, dicta etiam Pentapolitana à numero ciuitatum. In hac sunt horti Heſperidũ, aurea poma ferẽtes: Fons solis versus Marmarides,* Fons solis. *quem noctu calidum, interdiu frigidum ferunt. Populi eius Barcitæ, Arrarcceles, Asbitæ, Macautæ: deinde versus austrum inter mõtana. Silphiophora regio, hoc est Balsamũ ferẽs. Pſylli, quib⁹ naturale robur aduersus serpẽtes indutũ est.*

De Mar-

De Marmarica, & Ægypto.

CAP. XV.

MARMARICAM *Libyæ cum AEgypto Ptolem. simul indistincte ḡ describit. Illa tamen occidentalior est, magisq; ad Cyrenen & mare Punicum attinet, dicitur ḡ à Plinio Libya Marcotis: AEgyptius verò ad sinum vsque Arabicum & montana AEthiopiæ. Marmaricæ autem populi apud Ptol. quos nomos, hoc est, præturas appellat, ij sunt: Libyarchæ, Aniritæ, Bassacithæ, Apotamitæ. i. penuria aquarum laborantes, Augilæ versus Libyam interiorem, Ammoniaca regio, circa gra. lon. 55. mi. 20. la. 28. Nasamones, quos Plin. prius Mesamones, hoc est, inter arenas medios dictos ait: Anachisæ, Tapanitæ, AEzari, Zigritæ, Chatani, Ogdeni. Sequuntur Aaimaschiduæ, Iobachi, Ruditæ, Prosoditæ: demum Sciatica regio proxima AEgypto. Deinde sequitur AEgyptus, regio diuisa in duas præcipuas partes, Inferiorem & Superiorem. Inferior proxima Oceano inter Nili brachia findente se Nilo ita vt triquetram terræ figuram efficiat Delta dicitur, ob similitudinem litere Græcæ, Δ: atque hæc à nonnullis inter insulas reputatur. Superior* AEgyptus, *cui à meridie AEthiopum regio prætenditur, Thebais dicitur, in qua Thebæ centum*

AEgyptus.

centum portis nobilitata vrbs. Mediam verò AEgyptum Nilus flu. percurrit, qui ex montibus Lunæ (vt putatur) ortus per AEthiopum regionem interim sese ad spatium aliquod condens, dedignatus scilicet fluere per arenosa & squallentia, aliquando etiam in duas sese diffindens partes, insulas vastas efficit: & tandem compositis fluctibus placidoq; cursu per mediam AEgyptum in mare mediterraneum 7. ostijs egreditur. Hic singulis annis stato tempore per totam spaciatur AEgyptum, & sua inundatione terram fœcundam reddit, & interdum ad 18. cubitos sese extollit. Sunt qui ortum in Mauritania putent, eò quòd decidente pluuiæ copia apud Mauros, tum Nilus plurimùm augeatur. Populi autem AEgypti sunt Goniatæ, Prosoditæ, Scythiaca regio, Mastitæ, Nitriatæ, Oasitæ. Item Libyæ AEgypti. Extremum verò eius & Marmaricæ est Diammos & Abrochos, regiones, quibus ferè Tropicus Cancri per verticis punctum transit. Oram denique sinus Arabici incolunt Arabes AEgyptij: Australiores ijs Ichthiophagi. Montes Mauritaniæ sunt iam à nobis enarrati, quos diximus esse Atlantem maiorem, qui eam à Getulia distinguit: hunc noctibus micare crebris ignibus ferunt, & fistularum tibiarumq; cantu impleri, & tympanorum sonitu resonare, adeóque in altum Nilus.

altum erigi, vt orbem Lunæ contingere videatur

Atlas. Est item Atlas minor in Mauritania Tingitana,

Montes. & mare quod hos montes alluit Atlanticum vocatur. Durdus mons mediam ferè Mauritaniã Tingitanam diuidit. Byrinus mons Cæsarienſi Mauritaniæ adiacet ex Atlante ortus. Sequuntur deinde Libyci mõtes qui Ægyptum à Marmarica diſterminant. Item Climax mons & Anagombra.

Fluuij. Fluuij harum regionum multi ſunt: Sala flu. ex Durdo monte ortus per Mauritaniam in Herculeum fretum exit. Malua flu. in eodem monte ortus in idem mare ſe exonerat, Mauritaniam Tingitanam à Cæsarienſi diuidens. Sanus flu. ex Atlante ortus verſus Iuliam Cæsaream inſulã defluit. Mulus ex Atlante, vbi Cinnaba dicitur, verſus ſinum Numidicum. Sequitur verſus ortum Ampſaga fluui. cuius fons in Buſara monte, qui ex Atlante oritur, oſtium in ſinu Numidico. Poſtea eſt Rubricatus flu. In Cyrenaica regione Lacenus flu. qui Paliurum lacum efficit ingẽtem, in quo piſcium magna copia: In Marmarica deinde ingentes reperiuntur paludes, Lycomedis palus, Mœridis lacus, Fons ſolis de quo diximus, Laci palus iuxta Anagombrum montem.

De Lybia interiori, & Æthiopum regionibus. CAP. XVI.

SVPER has quas diximus regiones Lybia interior

interior describitur ingens & vasta, in qua solitudines montesq; plures occurrunt, vario genere animantium impleta. In primis à Mauritania versus meridiem adest Getulia, cuius incolæ feri sunt & vagi, regioq; aspera: Sequuntur qui Melanogetuli appellantur & Pharusij, qui per deserta vagantes vtres cum aquis secum deferunt. Getulia.

Nigritæ AEthiopes qui magnam partem Africæ occupant, atque ad littora oceani occidentalis extenduntur, versus austrum verò ad Nigritim vsque fluuium, cuius ea natura est quæ Nili: nam & eodem tempore augetur minuiturq;, eademq; animalia gignit, vt crocodilos. Hunc puto eũdem fluuium esse quem Lusitani Senegam vocãt nam & huiuscemodi naturæ est hic fluuius: Præterea mirum circa hunc fluuium referunt, ab vna parte accolas prolixæ esse staturæ nigrosq;, ab altera fuscos & breues. Sunt præterea Libyæ populi Garamantes, quorũ fœminæ (vt fertur) cuiuis communes sunt: nulla enim inter eos matrimonia cõtrahuntur, nullaq; fides thori seruatur. Sequuntur Pyrei, Sathiodaphnitæ, Oarangi, Mimaces, Lynxamathæ, Dolopes, Aganginæ, Leucæ AEthiopes, Xilicæi AEthiopes, Calcæi AEthiopes, Nubi. Hi eum situm habent apud Ptolemæum quem nunc tribuunt regno Nubiæ. Hîc Christianos nonnullos agere fama est sub ditione presbyteri Nygritæ. Senega. Garamãtes. Nubiæ regnum.

teri Ioannis. Ab his versus occasum Aphrices rones sunt magna gens: quorum regio (quantum
Orguene. coniectura assequi datur) Regnum Orguene dicitur. Hinc ad occiduam plagam paulo q̃ ad Aquilonem regnum Gambre. Item Budomel regnum, nõ lõgè à Senegal fluuio. Versus interiora regionum Ginoia, vel Guinea. Hîc promontorium est quod caput viride dicunt, ad quod primùm iter dirigunt Portugalenses, vbi in Americam contendunt: deinde, hoc relicto, iter ad dextram versus Garbinum, hoc est inter occidentem & meridiem conuertunt. Harum regionum littora iam satis lustrata sunt à Lusitanis: Incolæ verò penitus nudi incedunt, neque contractus exercent.

AEthiopia. Restat AEthiopia describenda, quamuis & multi regionum dictarum populi AEthiopum nomine appellandi veniant. Est autem duplex: Vna sub AEgypto regio ingens & diues: huius est Meroë insula inter Nili amplexus contenta: ei fœminas præfuisse ferunt. Ab hac versus ortum &
Papa Ioannes. Austrum Preto Ioannes, quem & presbyterum Ioannem, & papam Io. appellant, longè latéque extensum suum habet imperium vsque ad littora maris Indici, & vltra Nilum quoque protensum: Huius incolæ Christianos se profitentur. Habent tamen suos quosdam peculiares ritus. Medium regionis ferè est in grad. lon. 66. lat. 12.

Circa

Circa hanc regionem habitant Clodÿ, Rizophagi, Babylonÿ, Axiumitæ, & Mosylí, Molybæ. Post hos sequitur Troglodytica regio, cuius incolæ specus excauant: hæ illis domus: victus serpentium carnes, vt inquit Plinius, stridor q̃, nõ vox, adeò sermonis commercio carent. Blemines capite carentes oculos & os in pectore habere creduntur. Strutophagi, Gamphasantes nudi. Satyri, quibus præter formam nihil moris humani. Oripæi venatores, Mẽnones. Smyrnophora regio, quæ myrrhã profert. Deinde est Azania regio, in qua plurimi sunt elephantes. Pars magna regno Melinde Melinde.
nunc tribuitur, quod citra AEquatorem sitũ est. Incolæ contrahunt cum Arabiæ nationibus, regíque huius magna intercessit cum rege Lusitaniæ amicitia: reddit q̃, tributa Presbytero Ioanni. Altera AEthiopia, quæ interior dicitur, nondum ob sui magnitudinem nisi secũdum littora in cognitionem venit: describitur tamẽ hoc modo: In primis ab æquinoctiali versus austrum ingens regio AEthiopũ, in qua elephãtes albi, & rhinocerontes, & tygrides gignuntur. Cinnamomifera regio inter Nili complexus. Habech regnum siue Haba- Habaſcia.
schia christicolarũ regio, vltra citraq̃ Nilum locata. Ichthyophagi AEthiopes, quõdam Alexandri magni armis deuicti. Antropophagi. Rhapsÿ AEthiopes iuxta montes lunæ. Gazatia sub Gazatia.

Caput bonæ spei.

tropico Capricorni. Deinde est frons Aphricæ, caput bonæ spei, quod transcendunt qui ab Hispania Callicutium navigãt. Qualiter verò nomina promõtoriorum & sinuum appellentur, cùm id satis lucidè ex nostro globo haberi possit, superfluum esse putamus hîc recensere.

De insularum nomenclatura, quæ circa Aphricam sunt.

CAP. XVII.

QVÆ *in mari mediterraneo sunt: Iulia Cæsarea supra Mauros ad gradus longitud. 17. minu 30. latitud. 33. minu. 40. Supra Numidas, Hydras insu. habet grad. 28. latitudi 33. Plus in ortum duæ, Calatha, AEgimius in gra. 31. 15. 33. 20. Contra Aphricam minorem Dracontius 33. 15. 33. 15. Supra Siciliam, Glauconis. 37. 20. 34. 40. Melita. 38. 45. 34. 40. Cosyra. 37. 20. 34. 18. Herculis templum. 38. 45. 34. 5. Lavuncsiæ duæ. 37. 33. 30. Lopadusa. 39. 33. 20. AEthusa. 39. 30. 33. 15. Cercinna deinde 39. 32. 15. In Syrti minori Lotophagitis. 39. 20. 31. 18. In Syrti maiori, Mesynus, Pontia, Geamedium habet. 45. 20 30. 15. In mari Punico: Myrmex. 48. 40. 31. 50. Læa Veneris insul. in grad 50. 12. 31. 55. In mari Lybic. AEdonis insu. 52. 40. 31. 50. Tyndarij scopuli treis. 55. 50. 31. 30. AEuesippa. 56. 30. 31. 30. Phocusæ duæ. 56. 10. 31. 15.*

Pedonia

Pedonia 58.30 31.30. Dydimæ duæ 60. 31.30. Pharos habet long. 60. minu. 20. latitud. 32. graduum. Quæ adiacent ad orientem solem, in sinu Arabico. Prima est Sasspirena: deinde Aphroditæ siuæ Veneris insula. Agathonis insula. 65.15.23. quadraginta. Astarta. deinde Ara Palladis. Gypsites, Gomadeorum duæ in longitud. gra. 67. triginta latitud. 19. Myronis insula: deinde Cathatræ duæ Magorum insu. 68. latitud. 16. Acăthina, Daphnina, Macaria. 68.30. latitud. 14. Orneon australior. Bachi & Antibachi, Panis insula. Isidis orientalior. Diodori in gradi. 71. latitud 12.30. Mondi in sinu Analitico sub longitud 75. la. 8.30. Quæ verò restant in sinu Arabico, in Arabiæ descriptione dicentur. Sequuntur insulæ, quæ in mari Atlantico & occidētali oceano sunt. E regione Durdi montis qui in Mauritania est, Madera insula sic incolarum lingua dicta, quòd lignis abundet: insula quæ nullo quò vita sustentatur humana indiget, sub longi. 359. ferè graduum, latitudi. 20. Ab hac non longa dissidet intercapedine, insula quæ Portus sanctus dicitur, sub longitud. 30. qua si minutorum, latitu. 20. & 40. mi. Sequuntur decem insulæ fortunatæ Atlantem aspicientes montem, etiam Canariæ dictæ, ob ingentes canes, quorum ibi copia est. Ptole. sex tantùm adsignat & plus in austrum extendit. Quæ autem incolūtur,

Madera.

Portus Sanctus.

sunt: Fracta lancea; Magna sors, Grancanaria, Teneriffa, Giencra, Palma & Ferrum, Tanta est in his cœli temperies, vt bis in anno fruges matureſcant, deinde habitationem amœniſſimam præſtant. Ex aduerſo ferè capitis viridis, ſub lat. 18. grad. Magnus eſt numerus inſularum, quibus non propria ſunt nomina, ſed ab euentu indita. S. Anthonij. S. Vincentij. S. Luciæ. S. Iacobi, & aliæ, quæ cùm nihil precioſi adferant, multùm curandæ non ſunt. Præterea in ſinu magno Aphricæ, tres ſunt nuper inuentæ inſulæ primùm incultæ:

S. Thomæ. *Formoſa, Principis, & S. Thomæ, quæ ſub AEquatore ſita eſt: Iam ab aduenis Portugalenſibus occupantur. Referunt in ea quæ S. Thomæ dicitur, eos qui nondum adoleuerint, & pueros natos nihil ferè creſcere. Quæ verò verſus ortum Aphricæ adiacent inſulæ, ignotæ ferè ſunt, quales ſunt S. Laurentij, quæ etiam Madagaſcar vocata putatur, Sancti Spiritus, Monfra, Myrſiaca, Mene, Amici, & reliquæ, quarum ſitus ex globo facillimè haberi poſſunt.*

De Aſia, eiuſque partibus. CAP. XVIII.

ASIA *tertia mundi pars & maxima nunc reſtat deſcribenda, nudis tantùm nominibus regionum & montium adſignatis. Eſt autem*

autem ab Europa Tanai fluuio, palude Mœotidis, Ponto, mariq; Aegæo: Ab Aphrica verò sinu Arabico, deinde linea, quæ hinc in mare mediterraneum ducitur, discreta. Nonnullis ab oceani filia Asia dici videtur: aliis à Promethei matre. Eius multæ sunt partes. Prima post Europæ terminos occurrit Sarmatia Asiatica, quæ nunc sub Tartaria cõtinetur: ab occasu Tanai fluuio, Mœotidis palude vsq; ad Cimmerium Bosphorum terminatur: A meridie montibus inde ad mare Hircanum: Ab ortu linea ex Rha fluuio ad arctos extensa: Reliquũ latus terra incognita. Eius gentes in Septẽtrionali plaga sunt Hyperborei Sarmatæ, quorũ regio nũc partim Russia alba dicitur, regio ingens, syluis cõsita, in qua argenti pellium q; pretiosarum copia: Partim Moscouia, & gẽs magna, sed inculta Moscouitarum, qui cùm Christianæ fidei sint professores, Pontificem tamẽ Romanum, Ecclesiamq; nostram aspernantur: seruant enim Græcorũ ritus. Proximi sunt Hippophagi, Perierbidi magnum genus, laxamatæ, Chenides, Nesiotis regio ad ortum, Siracenij & Pseßij apud paludem Mœotidis: Apud montes Hippicos Amazonum regio, cui olim mulieres præfuêre, bellúmque in vicinas nationes intenderunt: Tyrambæ, Arichi, versus Albaniam Zigi, Gerri, Conapseni, Mithrydatis regio. Post quam Melanchleni,

Tartaria.

Russia alba.

Moscouia.

Amazones.

Thurci.

Sapothremi, Scymnitæ, Suarni, Serÿ, Thusci, vbi Thurci legendum Erasmus censet: hincq; originem Thurcos sumpsisse contendit. Verum maxima pars huius Sarmatiæ à Tartaris occupatur potius quàm habitatur. Quorum studium omne ferè est vicinas nationes bello petere, ac aliena occupare. At domi pecora per stationes pascere. Sequuntur Olondæ, Vdæ, Bosphorani: Iuxta pōtum, Achei & Heniochi: Postremo Sanarei. Adnumerant alij Hunnos, & Rhombitanos.

Montes.

Montes harum regionum præcipui sunt Hippici & Cerauni in medio ferè: Corax contra Bosphorum situs, Caucasus sub Iberia & Albania ad mare Hircanum vsque.

Fluuij. Tanais Rha.

Fluuij, Tanais ex Riphæis montibus ortus in paludem Mœotidis decurrit: Rha maximus fluuius ex Hyperboreis montibus duobus in locis ortus, in mare Hircanum: quāquam hodie pauciſsimi in his regionibus deprehendantur montes, ac potius Rha fluuius qui nunc Volga dicitur, tum etiam Tanais ac ipse quoque Boristhenes ex paludibus ac lacubus Moscouiæ siue Russiæ albæ haud longe ab inuicem oriri conspiciuntur. Rhombites ex Hippicis montibus in paludem Mœotidis.

Volga. Boristhenes.

De Ponto, Bithinia, Asia minori, Lycia, Pamphylia, & Cilicia.

CAP.

CAP. XXIX.

PONTVS *regio, Ouidij exilium, & Bithynia ex aduerso Thraciæ sitæ sunt, intercedente propontide ab occasu vsque ad Olympum montẽ, qui est in gra. lon. 57. la. 43. 30. Deinde ab aquilone* Ponto Euxino *terminatur, ab ortu Galatia: deinde Asia propriè dicta. Eius regiones particulares sunt, Chalcedonia, Timonitis, Bogdanis, apud propontidem.* Populi *qui multi & diuites sunt apud Galatiam & põtum Euxinum, dicuntur Mariandri, deinde Zigianæ. Montes. Olympus sub Mysia: Horminius mons, in gr. 59. 30. 42 40. Fluuij. Sangarius mediam Bithyniam percurrens ex Dydimo monte in pontum Euxinum, Ascanius fluuius, qui Ascanium lacum efficit.* Pſyllis *fluuius.* Parthenius *fluu. cuius ostium propè limites Bithyniæ & Galatiæ. Asia minor vel Asia propriè dicta, nunc Thurcia appellaur vel Natolia: Limites eius occidentales, Hellespontus, deinde AEgæum, Icarium, & Mirtoum maria. Reliqua latera Galatiæ, Lyciæ, &* Pamphiliæ *confinia, in globo nostro suis lineis discernuntur. Multæ sunt huius & copiosæ regiones. Initio post Bithyniæ limites apud Hellespontum duæ Mysiæ: minor, quæ occidentalior est: & maior, quæ orientalior. Intercedit autem Rhindacus fluuius. Inde versus austrum Phrygia, quæ &* Asia Thurcia. Mysiæ. Phrygia.

Troas: quam olim sub AEolia contentam fuisse, author est Volaterranus: & Troadas fuisse AEolas. Nonnulli duplicem distingunt Phrygiam, hãc minorem vocantes, maioremq; inter Galatiam, Pamphiliam & Cappadociam iacentes. Proxima est Doridis regio: Post quam Pentademitæ sunt:

Lydia. *Hinc è regione Euboëæ insulæ, Lydia Mœoniæ. Supra hãc Ionia. Demum Caria ex aduerso Rhodi insulæ. Populi occidui Olympini, Mysomacedones, Trimenothuritæ, Pentademitæ. Orientaliores versus Galatiam, Macedones. Mœoniæ Erizeli. Apud Lyciam Lycaones, quorum regio Lycaonia: Themisonij. Apud Bithyniam Moccadyni*

Montes. *& Phulacensij. Montes harum regionum. Ida, ex quo quatuor fluuij, Esepus, Grenius, Simoëntes, & Scamandrus, in Hellespontum vergunt. Phrygiæ mons Cimeus. Mons Timnus, in grad. 57. 40. 40. 30. Supra hunc Lydiæ montes Mesotes, Tmolus & Mimas non longè dissiti. Micale mons*

Fluuij. *inter Caistrum & Meandrum fluuios. Fluuij iam partim enarrati sunt: qui restant hi sunt: Caicus apud Timnum ortus mare AEgæum ingreditur: Hermus infra Sipylum montem ortus.*

Pactolus. *Pactolus supra, in mare AEgæum. Hic postremus ab auri arenis clarus habetur. Caistrus ex*

Meandrus. *Sipylo in mare Icarium. Meandrus ex Celenorum montibus super Ioniam flexuosis adeò recursibus*

cursibus procedit, vt sapius redire videatur, demum in Icarium mare sese exonerat. Lycia omnis montibus Phœnice, *Cadmo, & Masicyto, à Caria, Asia minori, &* Pamphylia *distinguitur: deinde mari Lycio. Populi olim Tremyli & Solymi dicti fuerunt. Montes iamiam dicti sunt. Fluuij: Calbis ex monte Graga ortus: Xanthus ex Cadmo fluuius ingens: Lymyra ex monte Masicytico. Omnes versus meridiem mari se admiscentes, medium est, sub gra. longitu. 60. 30. latitud. 36. Pamphylia Lyciam secundum littus ad ortum sequitur: a Cilicia fluuio Cestro, deinde montibus & mari terminata. In ea* Ptole. *has adsignat regiunculas: Carbaliam, quæ etiam partem Lyciæ occupat. Phrygiam, quam maiorem nonnulli dicunt, in parte Septentrionali & Occidentali. Pysidiam deinde versus exorientem solem. Gens est latrocinijs multùm dedita. Terra olearũ fertilis. Habet autẽ montes continuos Lyciæ mõtanis: horum qui maximè in septentrionem extat Celenorum tumulus dicitur, qui deinde Lyciæ attinet. Taurus mons, qui per totam Asiam, Armeniam, Scythiamq; flexuosus serpit: innumeris flexibus nominibusq; subinde affectus. Ex hoc Cestrus fluu. Pamphyliæ descẽdit in mare AEgyptiacum. Sunt præterea fluuij duo, Cataractus occidentalior Cestro: Eurymedon medius inter vtrunque.* Lycia. Pamphilia.

Medium

Cilicia. *Medium obtinet gra.lon.62.30.lat.37.20. Cilicia deinde vsque ad sinum Isicum,& montem Amanum extenditur,à septentrione monte Tauro, ab occasu Cestro flu. deinde mari finita. Cilices à Cilice Agenoris filio per occupationem nomen sumpsere. Sunt autem eorum post Pamphyliam vsque ad ortum hæ regiones: Leontidis,Thracia,quam Ptolemæus asperam regionem appellat,Cetida & Lalassida à Cestro vsque ad Ormagdū fluuium. Hinc Characia ad Calydnum fluuium. Lamotidis deinde ad Lamum fluuium. Postea Lacanitidis ad Sarum fluuium: mediam hanc Cydnus fluuius irrigat. Postremò est ad finem vsque regionis Cilicia propriè dicta,per quam Pyramus fluuius ex Tauro in mare Cyprium descendit. Montes & Fluuij dicti sunt. Omnes autem hæ regiones hoc capite dictæ sub dominio Thurcorum sunt.*

De Galatia, Cappadocia,& insulis circa regiones dictas.

CAP. XX.

GALATIA, *quæ etiam Gallogræcia fuit dicta (quæ post multos errores à Gallis occupata,inter Bythiniam, Asiam minorem, Cappadociam, Pamphiliam,& pontum Euxinum continetur: regio sanè ingens, fertilis, ac diues, quam etiam Thurcorum imperator suæ adiecit ditioni)*

ditioni) diuiditur in regiones aut prouincias has. Prima est ad littus Ponti Paphlagonia. Deinde Isauria montanis Pamphiliæ & Asiæ minoris cõfinis. Eam Lycaonia versus ortum sequitur, partem etiam Cappadociæ possidens. Gentes Galatiæ Toliboſti monti Dydimo vicini. Tectosagæ à Gallis profecti mediterranea incolunt. Proserliminitæ, Tiliſtobogi. Montes: Oligas, sub gradus. 63. latitud. 42. 20. Hinc Zaliscus fluuius in Pontum exit. Didymus mons, 61. latitud. 40. 30. Sumit hîc originem Sangarius fluuius. Demum ex media Galatia Alis fluuius in pontum defluit. Cappadocia olim Leucosyria, à Cappadoce eius regionis fluuio nomen accepit. Regio frumento pecoribusq; præstantibus nobilis, præsertim equorum laudibus exaltata. Hæc inter Halim fluuium ab occasu, inter Taurum, Antitaurum, & Scordiscum montes, & Thermodontem fluuium continetur. Ptolem. in præturas ferè distinxit, scilicet Antiochianã apud Ciliciam, deinde Thyanidis, & præturam Gardaucretam, præturam Ciliciæ & Chamanensem. Præterea in Pontum Galaticum apud pontum Euxinum: in pontum deinde Polemoniacum. Extremum regionis Leucosyri incolunt. Tenet mediterranea mons Argeus, sub gradibus longitudinis 66. latitudin. 40. Vnde Melas fluuius per Armeniam minorem decurrens postea Euphrati

Montes. Galatiæ.

Cappadocia.

phrati admiscetur. Mediam autẽ Cappadociam flexuoso ambitu Iris fluuius peragrat, ex monte Scordisco, qui est in longitudin. 68. 40. latitudin. 41.30. in pontum Euxinum. Insulæ verò, quæ circa regiones præscriptas adiacẽt, hæ sunt. In ponto Euxino contra Bythiniam Cianeis insula, in gradibus longitudinis 56.20. latit. 44. Thynias è regione ostij Sangarij fluuij. 57. 40. 43.20. Irythinus scopulus plus in orientem, sub lõgitudine 58. 30. 43 25. Lesbos insula magna in AEgeo mari ex aduerso Asiæ, etiam Mitylena vel Mitellinum dicta, diui Pauli actis clara, sub gradibus lon. 55. 25. 39. 48. Tenedos à Tenide puella, dicta prius Leucophris in Hellesponto ferè sita, sub lon. 55. latitudin. 40. 45. Pathmos, Posidiũ, Chy, vel Myndus vna insula maris AEgæi, 56. 20 38. 25. Icaria, vnde mare Icarium, quod alijs à Dedali filio sic appellatum est, habet lon. 56. 45. 37. 30. Samos, Parthenias, Athemus, Melamphyllus Straboni, nunc Samothracia dicitur, patria Pythagoræ, sub lon. 56. 30. 37. 18. Mynia, 56. latitudin. 36. 30. Choa vel Cos insu. Hyppocratis medici natale solum, quæ etiam Merope dicta fuit, sub gradibus 57. latitudinis 36. 25. Apud Cariam Astipalea, 56. 30. 35. 40. Carpathus insula à qua mare Carpathicum. Hæc nonnullis Porphyris dicitur, sub longitud. 57. 20. latitudine 35. Rhodus sic dicta, eò quòd

Insularum descriptio.

Mitellinũ.

Pathmos.

Samothracia.

Rhodus.

hoc est rosa dum iacerentur fundamenta vrbis Rhodi sit inuenta. Hæc à Christianis capta fuit annis hinc 226. nunc iterum Thurcorum vi possessa. Habet gradus 58.30. latitu. 35.30. Supra Lyciam Maxima, vel Megista, 60.48. latitud. 35. 15. Dolochista. 60.48.35.45. Chelidoniæ scopuli quinque. 61.30.36.10. Crambusa in mari Pamphilico. 62. 40. 35. 50. Sequitur demum in sinu Isico Cyprus insula Veneri sacrata: vnde Venus dea Cyprus. Cypria vocatur. Hæc prius Crypta fuit dicta, quia maris vndis videatur abscondi: Item Ceraste, Amathusia, & Minois. Mittit vinum optimum. Medium ipsius habet gradus 65.48.35.30.

De Colchide, Albania, Iberia, duabus Armenijs.

CAP. XXI.

COLCHIS, Iberia, & Albania montibus inter se discernuntur, qui ex Caucaso originem habēt. Colchis regio ad pontū Euxinum terminatur, diues opū, & amnibus auriferis nobilitata. Hinc fabula est Iasonē ex Thessalia cū Argonautis huc aduentasse, aureumq; vellus abstulisse. Continet regiones, quæ dicuntur, Erretica, Mauralia & Zala. Montes ab aquilone prætensi ex Caucaso oriuntur. A meridie Moschij adiacent. Fluuij: Corax, Hippus Cyaneus, Phasis,

omnes

omnes diuersis locis ex Caucaso orti, in pontum Euxinū exeunt. Proxima est Iberia, cuius gentes bello multùm valēt. Deinde ad mare Caspium Albania, sic dicta, quia incolarum pueri (vt inquit Gellius) albis capillis nascūtur, aut in pueritia canescunt, & plus cernunt noctu per oculos quàm interdiu. Regio frigida & aspera. Canes tāta corporis mole gignit, vt taurum & leonem premant. Tres autē dictæ regiones hodie Tartariæ adscribuntur: Mons Caucasus hanc à Sauromatis dirimit. Habet autem idem mons portas, quas Sarmaticas vocant authores, circa grad. longitud. 81. latitu. 48. 30. Itē in grad. 77. latit. 47. Et portas Albanias, sub gra. 80. latitu. 47. Fluuij Albaniæ: Cyrus, Albanus, Cæsius, Gerrus & Soana ex Caucaso profluentes in Caspio mari desinunt. Sequuntur duæ Armeniæ, quarum quæ maior dicitur habet ab occasu Euphratem, deinde Moschios montes, qui sunt sub grad. long. 72. 30. 43. 30. ab aquilone eosdem Moschios ad mare Hircanum vsque: ab ortu Caspios montes: à meridie Taurum montem. Diuiditur in Cotazenam apud Pontum: in Tosarenam & Totenam supra Iberiam, vbi nostri sæculi geographi Georgianos describūt, quos Christi fidem defendere ferunt. Deinde est Siracena, Sacapena, Hobordena, Sophena, Astamitis, Acilisena vsque ad Caspios montes, Anzitena, Gordena:

Iberia.
Albania.
Portæ Sarmaticæ.
Armenia maior.
Georgiani.

Gordena: Demum Coricea, Gordiæa, & Mardorũ regio. Mõtes: Antitaurus, qui ex Tauro procedit. Periardes, in grad. longit. 76. latit. 42. 40. Hinc Euphrates fluuius nominatissimus oritur, qui Armeniam in duas diuidẽs partes dein post mille circuitus Tygri coniunctus iuxta Babiloniæ limites in sinum Persicum egreditur. Ex eodẽ etiam monte fontes habet Araxes fluuius, verùm hic versus ortum defertur. Armenia minor, quã eadem volunt esse quæ in libris Regum terra Ararath dicitur, continet Pontum Cappadociæ iuxta littus Ponti: Gissos montanis Iberiæ vicinos: Deinde præturas, Orbalissenam, AEtulanam, AErethicã sub Antitauro, Horsenam, Orbisenam, Melitenam apud Melam fluuium: sub Cilicia Murianam, Cataoniam, Lanianam, & Arauenam. Hæ duæ Armeniæ Turcorum ditioni subsunt.

Periardes mons. Euphrates.

Armenia minor. Ararath.

De Syria, Mesopotamia, Assyria, Iudæa, & Babylonia.

CAP. XXII.

SYRIA regio sacris literis multùm celebrata terminatur ab occasu mari Syriaco & mõte Amano. E regione fluuio Euphrate & parte Arabiæ desertæ. A meridie Iudæa, intercedente Carmelo monte. à Septentrione Cilicia & parte Cappadociæ. Plures eius sunt regiones: Comagena apud mõtem Albanum. Cirrestica inter

Singam & Euphratem flu. Pieria in littore sinũs Issici, deinde Seleucis à Seleuco primo rege Syriæ. Calybonitis ad Euphratem flu. Casiotis apud mõtem Casium. Chalcidica regio. Apamena. Ad littus Phœnicia ex qua Phœnix auis. sub Libano Phœnicia. *monte Laodicina regio, & Palmyrina. Prope limites Arabiæ desertæ Saccæa regio & Bethanæa. Itẽ Trachonitæ Arabes. Vltima est Cœlosyria vel Curuasyria, sic dicta, quia inter duos montes curuos Libanum & Antilibanũ continetur. Eadem decapolis Plinio dicta est. Est autem tota regio Syriæ variarũ opum diues, frugum fertilis, & bal-*
Montes. *samis optima. Montes habet, Pieriam, in grad. 69. 40. 35. 35. Hinc Sinoas fluuius versus aquilonem ad Euphratem vsque procedit. Casium montem.*
Libanus. *68. 50. 34. 45. Libanum montem diuersarum specierum fertilitate præditum. 69. 20. 33. 30. Hinc quatuor fluuij labuntur, Adon in occasum, Eleutherus in occasum hybernum, Orcus quem nunc Verne vocant in aquilonem, Chrysorcas in oppositam partem Antilibanum montem, in longitud. 68. 40. la. 32. 40. Ex hoc Leon fluuius mare Syria-*
Iordanis. *cum petit: & Iordanis fluuius latè per Iudæam spargitur. Hippum mõtem, in lon. 68. 30. la. 30. Demum apud Arabiam desertã Alsadamum montẽ,*
Iudæa. *in gra. lon. 71. la. 33. Iudæa inter Syriã Arabiã & AEgyptum consistit, olim Palæstina Syria dicta.*

Diuiditur

Diuiditur in Galilæã proximã Syriæ præscriptæ, quæ regio est frumenti, vini, & olearum fœcundissima: In Idumæam secundum littus maris Aegyptiaci, quæ Nabathæa & terra Edom dicitur: regio etiam frugum fertilis. In Iudæam mediterraneam, cuius est Hierosolima longè clarissima vrbium orientis. In Samariam orientalem, cuius sunt Samaritani, quibus cum Iudæis parũ conueniebat. Mediam Palæstinam irrigat Iordanis fluuius qui se in tres lacus diffundit, quarum prima Genesara (vt habet Pl.) aut Geneſareth vocatur: deinde hic fluuius in mare mortuũ sese immittit, siue Sodomorũ (Plinius Asphaltitem lacum vocat) à quo postremò ebibitus aquas laudatas pestilentibus mixtas perdit. Mesopotamia inter duos fluuios Tigrim & Euphratem contenta est, vnde & nomen accepit. Adsignantur regiones hæ. Initio post montana Armeniæ, Anthemusia, Chalcitis, & Gauzanitis: Apud Tigrim Acabena: Sequitur mediterranea Ingena. Versus Arabiam Ancorabitis regio. Regiones sunt diuites, fertiles, & ab armentorum pascuis laudatæ. Plinius omnes sub Syria complectitur. Montes: Casij ab aquilone. Syngaras, sub grad. 77. latitud. 36. 25. Fluuij: Chaboras & Ascoras, vtérque ex Casio monte ortus in Euphratem incurrit. Assyria ab Assur dicta secundum Iosephum de anti.

Galilæa.

Idumea.

Samaria.

Mare mortuũ vel Sodomorum.

Mesopotamia.

Assyria.

Tigri à Mesopotamia, ab alijs regionibus mõtibus distinguitur vsque ad Euphratis & Tigris conuentum. Regio amœna & temperata, diuisa in Calcenam proximam Mesopotamiæ: Arrapachitã versus Mediam: Adiabenam vicinam Babyloniæ. Mons Niphates ab Armenia prætenditur, ex quo Lycus, Caprus, & Gorgus fluuij in Tigrim vergũt. Babylonia. *Babylonia inter Euphratis ambitus ab occasu & aquilone comprehenditur. Ab orientali Tigri, deinde sinu Persico & montibus. Septentrionalior eius pars Auchanitis regio dicitur. Media regio Chaldæa, in qua campus Duran, & Turris Babel. hæc eadem Astronomos præclaros educauit. Sequitur deinde Mardochæa regio. Australẽ plagã Strophades incolũt. Regio est cùm frugum, vitiumq; fertilissima, tum etiam rerum preciosarum ditissima, in sacris literis Sennaar dicta.*

De triplici Arabia.

CAP. XXIII.

Arabia petræa. ARABIA *triplex est: proxima* Palestinæ *Iudææ & Aegypto Petræa dicitur, à Petra oppido quod Nabatæi (vt inquit Plin.) incoluerunt. Continet regiones Munichiatim & Sarraceniam. Gentes sunt Pharanitæ, Ismaëlitæ, Agareni, Fatheni, Moabitæ, Ammanitæ & Gerræi. Mõs Syna, quem Ptolemæus Melanem appellat, sub grad. longi. 65. la. 30. Altera est Arabia de-*

Arabia deserta. *serta,*

serta, regio ingens, montuosa, arenosa, & verè deserta, cuius incolæ sunt Bathanæi, Orcheni, & Martemi. Tertia est Arabia quæ cognominatur fœlix: Nec iniuria. nam præter soli fertilitatem, multis aromatum generibus abundat, qualia sunt Aloë, Myrrha, Cinamomum. Camelos alit, Auri gemmarum copiam habet, quæ subinde ad regnũ Meũndæ Aphricæ deportantur. Clauditur autem regio à septentrione montibus: à Meridie mari: deinde duobus sinubus, Arabico & Persico, quibus in modum peninsulæ clauditur. Inter plures gentes quas Pto. adsignat, sunt apud sinum Arabicum siue mare Rubrum Banubari, Sabæi, quorum regio Saba vel Sabæa, diues opũ, aromatumq; fertilis. Elezara regio. Mediterranei sunt Oaditæ, Saraceni, Mesamanes, Alapeni, Scœnitæ vagi homines, Smynophora regio duplex, interior & exterior: hæc myrrhã fert. Homerita regio oceano proxima, Gerræi, Anaritæ, Ichthyophagi qui piscibus tantùm vesciũtur. Versus ortum sunt Sophanitæ, Macæ, & Thurifera regio. Montes, Zames, in lon. 76. la. 25. Hippos, lon. 67. la. 27. 15. Climax, in lon. 76. 30. la. 16. apud hunc Stygis aquæ fons est. Maritha mõs. 80. 30. la. 21. hinc duo fluuij Laris & Prion fluunt, hic in austrum, ille in aduersam partem. Didymi mõtes & Zames versus ortũ recedunt, vnde Hormanus flu. oritur. Melas

Arabia fœlix.

Montes Arabiæ.

mons, in gra. 81. 30. la. 12. in hoc oliuæ crescunt. Insulæ quæ in sinu Arabico sitæ sunt iuxta littus. Zygena, Dæmonum insula, in grad. 66. 45. la. 23. 15. Polibÿ. 67. 40. 21. 20. Ieracum. 69 30. la. 19. Socratis inf. 70. la. 16. 20. Cardamina, Combusta. 70. 30. 14. 20. Malichæ duæ. 72. 30. 12. 30. Dioscoridis inf. 86. la. 11. 30. Zenobÿ septem. 91. la. 16. 30. Sarapiadis quam alibi Serapionis dictã vidi, sub lon. 94. la. 17. 30. Scoyra Christiana, cuius incolæ archiepiscopum habent, sub 98. la. 8. Decliuius ad septentrionem duæ insulæ. Virorum & fœminarum. Alteram enim harum, quæ est in lon. 94. la. 13. 30. soli viri incolunt. Alteram verò sub eodem parallelo sitam, sed plus ad ortũ, sola fœminæ, quæ singulis annis semel conueniunt cũm viris, essèque Christiani perhibentur. Ormus insula diues, circa quam margaritarum copia inuenitur, in lon 94. 30. la. 21. grad. In sinu Persico, Appha, Iehara, Tharo, Tylus & Arathos insulæ ignobiles.

Virorum & fœminarũ.

Ormus.

De Media, Perside, Parthia, Hircania, Margiana, Ariana, Drangiana, vicinisq; regionibus. CAP. XXIIII.

Medi nomen à Medea nacti maiorem Armeniam & Assyriam versus ortum sequuntur, Caspijs & Thoatra montibus distincti. Strabo in Ecathanã & Atropatiam distinxit. Gens est diues & armis potens. Continet

regiones

regiones Marianam, in qua lacus eiusdem nominis, Cheliam, Marundiam, Ragianam. Gentes: Caspios apud Caspium montem & mare Caspium. Caduſios, Tapuros, & Madaſſos. Montem Zagrũ. Fluuios: Cambyſim & Cyrum ex Caſpijs montibus in mare Caſpium, Amardum ex zagro in idem mare, qui lacum Marianum efficit. Suſiana Suſiana. *auſtralior eſt Media parte Babyloniæ, Aſſyriæ, Perſidis, & ſinus Perſici intercepta: nonnullis ſub Perſide comprehenſa: huius fructus feruntur perpetuò virêre. Perſis ſeu Perſidis, montibus, ſi-* Perſis. *nu Perſico, & Dara fluuio à Carmania terminata: continet ſub ſe Achæmeniam, Drangenam & Elymæam regiones. Rurſus Caltapitim & Miſdiam: Rapſiam & Hippoſagiam. Perſæ ſolem deum ſtatuebant. Iidem ſi cum ſuis matribus coirent, inde magos generari non dubitabant. Huius imperator hodie Sophy dicitur: qui imperium à Saracenis et Turcis iamdudũ ablatum, ſtrenuè quotidie recuperat. Sequitur Parthia montibus vn-* Parthia. *dig, cincta. Eius regiones ſunt, Comiſena in parte ſeptentrionis, Sabiena in oppoſita: regiones quæ feras ſæuiſſimas & ſerpentes alunt. Parthi arcubus equiſque exercendis plurimum valent, adeò vt tam priuata quàm publica officia equis obeant. Hircania ab occaſu Medos habet, à meridie* Hircania. *Parthos, quos Coronus mons dirimit: ab ortu*

Margianam: deinde mare Hircanum. Regio vini ferax: vbi apes in arboribus mellificare autor est Strabo. Prouincias habet, Stracenam & Arsitim & Altauenam. Fluuios, Moxeram & Secādam, vtrumq; duobus fontibus ex Corono mōte in mare Caspium fluentem. Huic adiacet in mari Hircano Talca insula, in grad 94. lati. 42.30. Margiana regio admodum vitifera, etiam vndiq; montibus obiectis finita est: qui versus Ariam & austrum Sariphi dicuntur, versus Hircaniam Masrodanus. Mediam regionem Margus fluuius (vnde regioni nomen est) diuidit: qui duobus fontibus ex Saripho scaturiens, in mare Hircanum cum Oxo fluuio exit. Populi secundū Pto. Derecca, Massageta, Parni, & Tapuri, hi meridionales, illi septentrionales, Massagetæ medij: qui parētum ac amicorum ægrotantium carnes esitare feruntur: nam miserum iudicāt quempiam morbo interire. Ideoq; sanos mactabant. Ariam regionem cum aliquot sequentium. Plinius sub India aliquibus contentas esse ait. Ptole. seorsum descripsit. Terminatur vndequaque montibus, Masrodano ab occasu, è regione Paropaniso, à meridie Bagoo mōte: qui regionem incolunt, septentrionales sunt Nisæi & Astaueni: australes Borgi, Ceserotæ & Scorpiofera regio: medij Drachamæ, Paruti & Etymādri. Dionysius regionem sterilis esse soli ob

Talca.
Margiana.
Massagetæ.
Aria.
Scorpiofera regio.

solis

solis ait adustionem, corallium tamē proferre, vi-
teſq́, ſupra quàm aliæ regiones ferunt. Drāgiana Drangiana.
Ariam ſequitur verſus auſtrum intercedēte Ba-
goo mōte. Auſtrale latus finit mōs Batius: Orien-
tale, linea ex Paropamiſo monte ducta ad auſtrū.
Diuiditur in Daranas, Batrios, & Tatacenam
regionem. Tranſit eam Arabs flu. cuius oſtium in
Bagoo monte. Incolæ lapidum preciosorum, ve-
ſtiumq́, copiam habēt ſericarum. Arachoſia Drā- Arachoſia.
gianam ad occaſum reliquit, à ſeptentrione Par-
ueti montes ſunt, iuxta quem habitāt Pargyetæ.
Sydri verſus occidentem recedunt. Poplui a me-
diam tenēt. Eoritæ auſtralem plagam. Hos omnes
Dionyſius λινογχλαίνοις appellat, id eſt lineis vtē-
tes veſtibus. Arachoſus fluuius ſeſe in lacum in-
gentem affundens ex Parueto monte ad Indum
fluu. tranſit. Carmania duplex eſt: Altera deſerta, Carmania.
cuius populi & ſitu & moribus Perſis ſunt affi-
nes: ſunt autem Yſcithæ, Madomaſtæ, & Cuchi.
Altera quicquid inter montes Perſicos & ſinum
Perſicum eſt, complectitur: ſubdiuiſa in Rhudia-
nam, Agdenitim, Parepaphitim, & Cabadenam
regiones, ad littus ſinus Perſici. Rurſus in Aras,
Caradras, Cautonicas, & Chelonophagos, hoc eſt,
teſtudines comedētes, ad littus maris Indici. De-
mum ſunt maximè ſeptentrionales Camelobosci
vel Zozotæ, gens bellicoſa, quæ aſinis in bello vti-

Montes. tur. Montes huius regionis, Strongilus & Semiramis, in grad. 94. 20. lati. 25. Sunt item ignobiles alij in medio regionis, ex quibus sex fluuij, Dara, Cathrappis, Corius, Achindana, Andanis, & Saganus in sinum Persicum fluũt. Salaris verò fluuius ex ijsdem montibus in sinum Paragonicum Indici maris. Gedrosia Persicis montibus, Boëtio, & Indo flu. intercepta est: cuius regiones, Paradena & Parissena: hæc apud Indum flu. illa apud Boëtium montem. Gentes, Parsiræ, Carmaniæ, & montibus contiguæ, Rhãnæ apud Indum flu. Muzareni mediterranei, fortasse legenaũ est Guzareni: nam in hac parte describitur hodie regio Guzarath. Proxima est Cãbaïa, ad littus maris Indici etiam sub Gedrosia contenta: quæ regem habet & ciuitatem Cambaiam regalem. Bactriana & Sogdiana duæ regiones, Oxi fluuij flexuoso ambitu distinctæ: terminantur ab occasu, Margianæ montanis: à septentrione & Scythia, Oxijs montibus & Iaxarte flu. ab ortu Comedorum montanis, deinde Paropaniso. Bactriana sub se cõtinet Chomaros. Salateras, Zariaspas septentrionales. Medij sunt Tochari, Aciuacæ, Scordæ, Varni, & Sauadij. Meridionales Comi, Tambysi, Orsipi, & Amarisspi. His mos est neminem pro delicto morte, sed exilio tantùm punire. Fluuij, Gardamanis, Zariaspes, Dargœdes ex Paropaniso originem

Gedrosia.

Guzarath. Cambaia.

Bactriana.

ginem trahentes, omnes cum Oxo fluuio congrediuntur, qui etiam in eodem mõte oritur. Sogdianorum incolæ, Iatij, Thacori, Augali, Oxidraanæ, Drybactæ & Candari septentrionales: Mardyeni & Drepsiani apud Sogdios montes, qui sunt in grad. 115. latitud. 47. ferè. Pasitæ, quibus Oxij mõtes adiacent, in grad. 108. latitud. 47. Chorasmij et Vandabanda regio versus Indiam. Oxiani medij. In hac arbor papyrus foliis tam vastis nasci dicitur, vt quatuor pedes in lõgitudine æquet. Sequitur Paropanisidum regio versus omnem partem montium collibus ferè compressa: Paropanisus ab occasu & septentrione, Caucasus qui piper mittere fertur ab ortu, Paruetus ab austro. Incolæ Bolitæ septentrionales, Aristophyli & Parusii occidentales, Ambautæ orietales, Parsietæ australes. Fluuij, Gardamantis in medio ortus versus aquilonem Oxo fluu. adiũgitur: Choas fluu. cuius fons in Parueto mõte, Indo admiscetur. Regio (vt fertur) præter oleum omnia proferens quæ vitæ necessaria sunt, quam Marcus Venetus regionem Torquestensem videtur appellasse.

Sogdiana.

Paropanisides.

Torquestensis regio.

De Sacis, & Scythis. CAP. XXV.

SAcæ vel Sacosani genus hominum est sagittariæ artis peritissimum, syluas lucósque inhabitans: nulla enim in eorum regione sunt

sunt oppida: totaq; montibus cõtiguis circunsepta est. Nonnulli sub Scythis comprehendunt. Pto. Sacarum regionẽ distribuit in Caratas septentrionales, in Comaros, in Grinæos Scythas Toornasq; mediam incolẽtes regionem, in Aristes & Comedas, vnde montes Comedorum, occidentales, in Byltas australes, in Massagetas orientales, quibus Asc atangas mons adiacet, in gra. 133. la. 47. Sacæ quas optant sponsas prius bello acquiscuntur: qui si ibi vincantur, perpetuæ seruituti addicti in ca-

Scythia. *uernis latitant. Scythia omnis secundum Ptolemæum ab occasu habet Rha fluuiũ terminũ Sarmatiæ: à septentrione terram incognitam: ab ortu Sericam regionem, cuius limes est linea per montes Casios sursum deorsumq; ducta: A meridie partim Hircanum mare Sogdioq;, partim Sacas & Imaum mõtem. Plinius, & alij etiam Sogdios, Margianos & Sacas sub Scythis comprehendũt, atque hi Imao monte eã ab India separant, ea scilicet parte mõtis quæ in ortum occasumq; diffun-*

Scythia duplex. *ditur. Altera Imai pars sursum deorsumq; tensa Scythiam duplicem distinguit, intra Imaum & extra Imaum occidentalem & orientalem. Populi eius nullis constant terminis, eò quòd agros non colant, neq; conuenticula celebrent. Nominãtur his ferè nominibus: Alani Scythæ, Suobeni & Alanorsi citra Alanũ montem: Asmani, Canodipsas regio,*

regio, Erymni versus Sarmatas: Mologeni, Samnitæ, Machetegi, Scymbi, Iastæ, Galactophagi comedentes lac mediȳ: Asiotæ, Noroßi, Iaxartæ ad mare Hircanum: Anaræ, Ascotancæ, Tectosacæ versus Imaum mõtem. Atque hi Scythiæ interioris sunt, quæ tota hodie Tartaria magna vocatur, multumq́; vltra Hyperboreos montes ad septentrionem proténditur, vbi multæ & syluæ & feræ. His omnibus Scythis præesse creditur, magnus ille Tartarorũ princeps, ob id magnus Chã dictus, vocaturq́; regnum Cathay ad extremum oriẽtem extensum. Qui restant in vlteriori Scythia, sunt Abȳ, hoc est, non iniqui Scythæ. Hippophagi, Hippopodes, Homobȳ. Cassia regio quæ Cassiã fistulam ferre dicitur, Achassa reg. Huius etiam fertur esse Tharsos regio cui præfuit Melchior magus. Itẽ Arimaspi qui (vt refert Plì.) vnum oculum in fronte tantùm habent. Neoterici Mongalistarum regionem appellant. Montes harum regionum sunt: Rhymnici, vnde Rhymnus flu. in mare Hircanum abit, in gra. 94. lat. 56. Sunt præterea Alani montes, Noroßus, Aßpasȳ, Tapuri, & Anaræi, omnes ferè ortum ex Imao sumentes. Tartaria. Mongalistę.

De India.

CAP. XXVI.

TOTA regio Indiæ Indo fluuio ab occasu: Sero fluuio ab ortu: Imao, Emodȳs, Sericísque

que montibus ab aquilone, deinde oceano includitur. Mediam autem Ganges flu. (quem nonnulli Phison credunt) diuidit: vnde duæ distinguuntur Indiæ, Cis Gangem & Citra Gangem. Indiæ intra Gangem populos continet multos & diuersos cùm nominibus, tum etiam moribus: quorum qui statim Indum sequuntur, Gymnosophistæ magi vocantur. hi vt refert Pli. ab ortu solis ad occasum vsque immobilibus oculis solem intuentes perstare possunt: Dardæ vel Daradæ inter amplexus Indi fluuij, apud quos formicas vulpium magnitudine aurū effodere fama est. Suastena regio, Lambatæ, Varsa regio, Patalena inter ostia Indi, Chatriei, Pulindæ, Agriophagi, Cicopletes, qui vnicum oculū in fronte habere perhibentur, Sirastrena regio, quæ nūc ferè Cambaiæ attinet apud sinum Canticolpum, Larica, deinde versus austrum Arica & Viripyra regiones, vbi nostræ ætatis Geographi Narsingam latam regionē describūt, multorumq; aromatum fertilem. Itē Canoiæ regnū cum oppido regio: Callecutium regnū & emporium famatissimum: nam eò omnis generis merces & mercatores ab omni orbis parte confluunt. præterea multa ferūt hæ regiones quæ aliunde petere nō opus est. Sequitur in eodē quasi tractu versus meridiē Gutschin vel Cuchinum regnū, et Colum, quæ paulò latiùs in meridiē extendun-

India intra Gangem.

Narsinga.

Callecutiū.

tenduntur, quàm Ptolemæi descriptio habeat. Sequuntur, versus ortum Lymirica regio: Carei ad sinum Colchicum: Panciones Bragmanæ magi supra montem Betigũ, qui est in grad. quasi 126. latitud. 20. Hinc tres fluuij, Pseudostomus, Baris & Solenis in mare Indicum defluunt. Sub eodem mõte sunt Ambastæ, Cassiria regio, Soræ, Biolingæ Adysathri ad montem Adysathrum, qui est in gra. 132. lat. 22. 30. Hinc Chaberus flu. in sinum Argaricum vergit. Deinde apud mõtem Vxentum, qui habet gra. 140. la. 23. 30. Mandalæ, Dryllophyllitæ, Salaceni, Mesoli, Aruarni ad littus Oceani. Demum iuxta Gangis exitum Sabaræ, quibus Adamas in copia crescit. Item Coccomagæ et Gangaridæ ostijs Gangis circũfusi, quarum regio Orphir in sacris literis dicitur. Adnumerant alij plures nationes tum monstrorum tum aliorũ diuerso viuẽtium ritu, incerta tamen designatione: veluti Bygmæos, Ophiophagos qui serpẽtibus vescũtur, Musicanos, Astacenos, Schiopodes vno pede tantæ (si credere fas est) magnitudinis, vt resupini æstum solis vmbra pedis vindicent: tantæ tum celeritatis vt leporem fugiẽtem adsequi credantur. Feruntur & qui auersas plantas habent, digitos octonos. Cynocephali, quorum capita canina sunt. Astomi. i ore carentes. Plura præterea diuersáque animantium, herbarum, arborum,

Schiopodes.

Cynocephali.

Astomi.

arborum, cæterarumq; rerum genera scriptores hîc comminiscuntur: eò quòd ob rarum huius regionis aditum, liberè cuiuis quidvis effingere licitum sit. Montes præcipui dicti sunt & fluuij. Sũt præterea Apocapi & Poënæ deorum, in grad. lon. 120. latit. 25. Item Vindius mõs. 131. lat. 27. Oriuntur hinc Namadus flu & Nonagua qui Calleccutũ merluit: & Soas flu qui se Indo admiscet. Ex mõte autem Vxẽto oriuntur tres fluuij, Tyndis, Dosaron & Adamas, circa quẽ Adamas lapis gignitur. Proxima est India extra Gangem quam maiorem appellant, regio nõ adeò culta atque illa interior, aut saltem nobis non tam exquisita. Sunt autem secundùm Ptolemæum hæ regiones seu nationes, Ganganæ & Tacorai proximi Sacis: Marundæ secundùm Gangis transitum: Cirradia ad sinum Gangeticum, in qua galli gallinacei barbati reperiuntur & implumes & lanuginosi. Deinde secundum littoris tractum Aurea regio & Argentea, in quibus multa metalla reperiuntur. Eodem deinde ordine Besyngiti humanæ carnis voratores. Hinc Aurea Chersonesus est, quæ nũc ab incolis Malacha putatur dici, vt referũt Portugallensium nauigationes. Dicunt insuper quòd regio sit vrbibus in modum nostratium ædificatis cõsita: quarum quæ caput est, Chrigapola dicitur, regia Siã. Hæc terra præter aurũ & margaritas, Rhal ar-

India maior.

Aurea Chersonesus. Malacha.

Rhabarbarũ gignit arbore (vt narrant quædam nauigationum traditiones) crassa & putrida, nec sine putredine odoris præstantiam habente. Cùm colligere est animus, turba hominum noctu præ timore leonum ac ferarum aliarum arborem conscendit, odoremq; Rhabarbari vento perferente excipit: exorto dein sole, omnes eam viam arripiunt quam noctu ventus indicauerat, messiq; intendũt. Sunt præterea mediterranei Indapratæ Aminachæ, & alij. Orientales demum Cacobæ, Chalcitis regio, Cudutæ, & Sindi, genus hominum ferũ, cutis adeò duræ, vt sagittis trajci nequeat.

De Serica, Sinis, & regionibus orientalibus.

CAP. XXVII.

SERICA *regio ab occasu Scythia, ab austro India terminatur: reliqua latera incognita etiam nunc existunt. Incolæ sericum ex arboribus depectunt, quod vermiculus Ser conficit, indeq; ortum nomen est. Ptolo. hos describit populos. Antropophagos, Garineos septentrionales: Sizyges, Dannas, Rhabbanæos, & Asmiræam regionem in medio. Sequuntur deinde Issedones, ingens populus, qui parẽtum funera cantu aliisq; delitijs prosequũtur, corpora verò carnibus aliorum pecorum cõmiscentes esitant. Sunt præterea*

Aſpacarę, Throani, Ottorocorę, & Batę incerto ferè omnes ioco, commercia aliorum fugiẽtes: quas autem videre volũt merces iuxta vias collocant, cumq; alijs cõmutant. Hæ regiones ad Cathay regnum, & Chinchitalim regionem pertinent. At ſingulatim partes ex Marco Veneto difficile fuerit diuinare. Hinc Sinarum regio eſt, quam nunc Chynam magnam appellant, ab ortu ſolis Indię maioris poſt Serum fluuiũ. Huius rex potentiſsimus totius ferè mundi celebratur, qui, ne regium ſtemma alieno polluatur ſanguine, ſororem in coniugem ſumit. Nulli ſe conſpicuum præbet. Palatium habet mirificè extructum, ſeptupliciq; muro communitum: inter quemque ambitum perpetuò vice mutata, decies milleni cuſtodes excubãt. Principes immorigeros pelle exuit. Gens eſt candida ſic ſatis, quæ veſtibus menſaq; pro epulis ritu ferè noſtro vtitur, legis Chriſtianæ exp rs, crucem tamen Domini (ignota cauſa) magnificè veneratur. Deinde ſecundum littora verſus ortum nationes occurrũt margaritarum feraces Chienchÿ: Lechÿ autem mediterranea occupant, habentes regem qui 20. regibus dominatur, ſed regi Sinæ ſubiectum. Ptolemæus Semanthinos montes eiuſdemq; nominis populũ deſcribit. Item Spioras & Ambaſtas fluuium Aſpitharam. quicquid præterea verſus ortum vltra

Sinarum regio.

180. gra-

180. gradus longitudinis restat, non est claris scriptoribus celebratum, ideoq; tam incertum vt fidē vix ausim adhibere. Describūt verò tales regiones seu prouincias. Chinchitalis prima est post Sericam regionem. Balor regio deinde quæ magna habet deserta Iudæi clausi inter montana. Tangu, Cathay regiones potentissimæ, quibus magnus ille Cham præesse dicitur, Chayram, Thebet. Cyamba, Mangi prouincia quæ omnes cùm incertis limitibus nobis sint traditæ, non adeò curandæ sunt. Regnū verò Murfuti, Var, et Lac, quæ longo protractu in meridiem describunt, ab Hispanis non eo modo sunt inuenta, sed eo ferè situ insulæ Molucæ describuntur. Hanc autem partem, Indiam superiorem vel orientalem appellamus, in qua diuersa hominum instituta & mores comperiuntur: volunt q; quosdam ibi agere Christianos, alios syluestres, alios alio modo viuentes. Fides horum penes autores esto. Lac regnū.

De insulis maris Indici.

CAP. XXVIII.

INCIPIEMVS *primùm ab eo loco in quo paulò antè insularum enarrationem omisera mus. Sunt ergo in sinu Persico iuxta Carmaniam Sagdana, in gra. 94. latit. 23. 15. Vorochta. 94. 20. 25. 30. Contra Persas Tabiana & Sophta.*

Item Alexandria vel Aracia, in gra. 90. lat. 29. 30. Deinde in Indico oceano Carmina. 102. lat. 18. Liba. 103. 30. 19. 0. Quæ Gedrosiæ adiacent, Asthæa, Codana, Barraca, ignobiles sunt insulæ. Sequitur

Seylana. *Seylana magna & diues, in qua etiam multa aromata crescere fama est, potissimùm cinamomum & Zinziber, habet q. montem excelsum quem montem Adæ vocant. Putant enim incolæ in hoc monte Adamum pœnitentiam egisse. sita est sub gra. lon. 118. 30. lat. 6. 40. Sequitur Taprobana insula totius mundi maxima, quæ nunc Samotra vel Sumatra dicitur, diues multarum rerum & potens, cuius rex ne regnum hæreditarium fiat, liberis gignendis operam dare prohibetur. Referunt Lusitani iam in quatuor diuidi regna, quæ & tributa pendunt magno Chamo Tartarorum ac Scythiæ totius principi potentissimo. Incolæ & si Christianæ religionis ignari sint, legibus tamen ac æquitati parent. signata vtuntur moneta aurea, argentea & ærea. Mittit insula hæc piper abundanter, & maximos elephantos. Hæc Ludouicus Rom. Ptolemæus eam antea Simondi dictam fuisse tradit, tempore verò suo Salicam, populos q. comuni vocabulo Salas, præterea omnes vtriusque sexus muliebribus ornamentis tectos incedere. Circum Taprobanam cohortes sunt insularum 1378. numero: quarum tamen nomina extant, hæ*

sunt:

sunt: Nanigeris, Cory ad septentrionalem plagam, Vangana, & Canathra ad latus occidentale. Hinc facile crediderim Samothram eandem esse cum Taprobana, de qua tamen multi plurimùm dubitant. Secundum idem latus, Egidium, Orneos, & Ammina. Monacha sub AEquatore, Carcus, Philigus, Irena, Calandadrua polum Antarcticum supra suum hemisphærium conspicuum habent. Ad australe latus Taprobanæ Arana, Bassa, Balaca, Alaba & Cumara. Versus orientem Zaba sub æquinoctiali, Zibala sub primo parallelo arctico, Nagadeba sub secundo: Susuara sub tertio ferè. Sunt præterea Maniolæ insulæ decem duobus gradibus demissiores æquinoctiali, quarum incolæ anthropophagi feruntur, ibiq; lapis Herculeus naues quæ ferreis clauiculis compactæ sunt detinere perhibetur. Ex aduerso aureæ Chersonesi Barussæ, Sindæ, & Sabadicæ insulæ sitæ sunt, etiam anthropophagis occupatæ. Demum Satyrorum insulæ, quarum incolæ caudas habere perhibentur, quales Satirus tribuere consueuimus. Maniolę.

De insulis nuper inuentis.
CAP. XXIX.

HACTENVS *parũ aut nihil à Ptolemæi veterumq; autorum vestigijs digressi sumus: sed nunc cùm eo loco quo Ptolemæus*

Cattigaram longè vltra Æquatorem prominentem descripsit, & deinde alij adnectentes regnum Var, Moabar, & alia incerta ferè ratione, nulla post frequentes vltra citraq; Æquatorem nauigationes terra continens inuēta fuerit, sed insularum infinitus penè numerus: de earum situ omissis veterum erroribus pauca subnectemus, quæ quidem ex Maximiliani Transyluani viri laudatæ tum honestatis ac probitatis, tum etiam non mediocris eruditionis, epistola: deinde etiam ex pluribus Hispanorum nauigationibus in epilogum quasi collegimus. Prima igitur oc-

Iaua maior. *currit Iaua maior, cuius rex affinium insularum regibus dominatur, & ipsa in quatuor regna diuisa, sub gra. 155. lat. 8. austr. magna pars incolarum anthropophagi sunt. Nam & ægros, quorum vita deplorata videtur, mactant, sic eos à longo mortis cruciatu liberantes. Ita quoque Massagetarum instar parentes senio confectos, atque ob id vitæ actionibus incommodos, alijs esitandos vendunt: omnes ferè Idololatræ sunt, quos Caffranos nuncupant. Habent tamen suas quasdam æquitatis leges aut ritus quibus parent. Habent*

Iaua minor. *& æris & auri copiam. Iaua minor insula eiusdem longitud. latitud. 3. austr. Porne insula, sub lon. 174. lat. 4. gra. Hæc eadem Burne vel Burnea dicitur: tantæ est magnitudinis vt trimestri*

spatio

ſpatio vix obiri poſſit. incolæ gentiles ſunt, iuſtitiæ tamen paciſq; atque amicitiæ ſtrictiſſimi cultores. AEdes eorum exiles ex ligno terraq; conſtructæ. Vxores ducũt quot alere poſſunt. Panem ex oriza conficiunt. Potum liquor qui de conciſis palmarũ ramis exprimitur præſtat. Argento viuo epoto morbum depellunt, ſanitatemq; tuentur. Margaritarum ferax eſt inſula: nam aliquãdo ad oui gallinæ quãtitatem reperiri ferũt. Non longè hinc duæ inſulæ, ſub lon. 180. ferè gr. lat. 8. Bibalon & Cimbaubon, vbi crocodilos eſſe ducũt, & arborem, cuius folia defluxa vita aſſumpta mouentur animantum modo. Puloam ſicuũ fertilis. long. 179. latitud 10.30. Panilonga vel Panilongon AEthiopibus habitata, longitud. 181. latitud. 14.20. Hoc tractu plures aeinde ſunt inſulæ ſparſim in mari ſitæ, quarum longitudines & latitudines incertæ etiam nunc exiſtunt, quarum ſunt Baxbay, Cathigan, Bohol, Culon, & Canghu. Subuth inſula, ſub lõgitud. 189.10.11. minutorum. Huius multi proxima nauigatione fuerunt baptizati, alliciti miraculo, quo quidã æger prorſus extenuatus & ab omni ſpe deſtitutus, Chriſti nomine fuit ſanitati reſtitutus. Truncus arboris palmis ferè ſimilis ei pro pane eſt. Potus ex palmarum ramis conſciſis exprimitur. Hinc ad auſtrum ſub latitud. 9. grad. Maſſana inſula, cuius incolæ aurum Puloam. Panilonga. Subuth. Maſſana.

quod in copia habent pili faciunt: nam pro rebus vilibus & quisquilijs multum sæpe auri commutarunt. Gens est agilis multùm, nuda natura tantùm obtecta. fœminæ infra umbilicum obuelātur capillis ad talum vsque. eædem in cadauerum iustis faciendis miserabiles luctus exercent, incumbentes cadaueri, os ori, manumq; manui applicando. Mauthan aut Mattan, sub latitud. 10. grad. non longè à Sukuth. Huius incolæ bello multùm valent: nam fecit huius periculum Magelanus præfectus classis, qui ibi cum multis socijs cecidit. Hinc versus ortum & arctos plures sunt insulæ, Zuluan, Buthuan, Calagan, & Inuacana, diuites auri, omniq; genere aromatum, quod nostra suspicit regio sunt impletæ: medium omnium est sub longitud. 185. latitud. 10. Gelolo vel Syloli insula sub longitud. 186. la. 2. eius incolæ id quod primùm manè egredientibus sese obtulerit pro numine habent. Nascuntur hîc arundines pedali amplitudine aquam potioni per accommodam ferentes, hicq; fœminas vento concipere fabulantur. Ab hac versus occasum vltra citraq; AEquatorem exigua inter se distantia, sub lon. 185. grad. nobiles illæ insulæ Moluccæ describuntur, quarum beneficio totus penè orbis aromatibus impletur. Quinque numerantur, Thedore vel Tadore, Tarante, vel Taranatæ, Muthil, Mare, & Machian.

Mattan.

Inuacana.

Gelolo.

Moluccæ insulæ.

Tadore

Tadore septẽtrionalis est ad dimidium quasi gradus. huic præest episcopus quadragenis ex consuetudine fruens vxoribus. Tarante versus antarcticum. 40. minutis ab AEquatore discedit. Machian quindecim minutis. Muthil sub AEquatore cõsistit. Incolæ Caphræ sunt, hoc est gentiles, admodum egentes: quandoquidem præter aromata nihil ferè apud eos proueniat. Latẽt tuguriolis multùm demissis, denique vt ait Maximilianus Transf. omnia apud eos sordida & humilia sunt præter pacem, ocium, & aromata. Arbor Garyophylli (propter foliorum similitudinem cum iuglandium foliis) quæ in his insulis crescit procera assurgit, crassitudine medij hominis sensim gracilescens: ex medio autem ramusculi latiusculè effunduntur folia specie laurinorum. Garyophylla autem, quæ clauos ob similitudinem vocamus, extremis ramis coniuncta enascuntur. Crescit præcipuè in tribus insulis, Tarante, Tadore, & Machian. Mutil cinamomum mittit, corticem scilicet arboris cuiusdam surculosæ ad solem arefactum & detostum. Post has in austrum plures sunt insulæ, quarum maxima Badam dicitur. hîc myristica nux nascitur gemino cooperta operimento, exterius ligneum est, alterum quod nucem complectitur tenuis membrana, nos florem muscatæ dicimus: ab Hispanis

Tadore.

Incolarum mores.

Arbor Garyophylli.

Cinamomum.

Badam. Myristica nux.

macis vocatur. Circa hanc duodecim sunt insulæ paruæ, sub long. 180. lat. 6. austra. In his zinziber passim prouenit, aliud sponte, aliud seminatum. Radix est cuiusdam herbæ adsimilis ei quæ crocum producit. Ambuon insula, sub lon. 187. 30. lat. 6. aust. huius incolæ anthropophagi sunt. Buru ab illa versus occasum, sub long. 183. latit. 6. aust. Tenetum, in lon. eadem, la. 3. gra. aust. Sequuntur Laboan, Bachian, & Caphi, plureſq; paruæ insulæ, quas ob incertum situm omittimus: in vna harum Pygmæos degere fama est. Sullach anthropophagorum insula sub latitu. 3. graduum australium. Malua sub long. 177. grad. lat. 8. 30. aust. Non longa hinc intercapedine (vt ferebant accolæ) homines degunt cubitales, aures tam vastas habentes, vt alteri pro strato incumbentes altera sese cooperiant. Timor insula satis magna, sub longitud. 178. grad. latit. 13. aust. Huius fœminæ aurium ornamentis armilliſq; vtuntur. Sandalum vbertim hîc prouenit, quod solenni & rata lunæ cursus obseruatione colligitur. Iacent in oceano versus Americam insulæ duæ latronum sub æquinoctiali. Nomen dederunt mores incolarum, qui furto & latrocinijs plurimùm dediti sunt. Gens inops & solers. Mulieres formosæ admodum, longis nigriſque capillis, nudæ præter naturam, quam tenui mem-

zinziber.

Ambuon.

Butur.

Timor.

Insulæ latronum.

nui membrana velut folio papiraceo obtegunt. AEdes ligneæ: conclauia lectósque habent quibus paleam palmeam molliuſculam ſanè ſubſternunt. Nauiculas ex trunco excauato cum velis extructas, tanta arte regere nôrunt, vt volare videantur, puppim prorâ prorámque puppi commutantes, ſingulæ ſingulos capiebant rectores. Demum ſunt duæ inſulæ infortunatæ, ſub long. 240. latitud. 23. 30. auſt. Dictæ ſunt infortunatæ: quia cùm Portugallenſium *claſſis ad eas applicuiſſet, iamque ferè omnes inedia confecti eſſent, nihil rerum neceſſariarum ibi inuenerunt, ſed deſertas viderunt. Si præterea reſtent inſulæ (vt reſtant) quarum mentionem non fecimus, illæ aut exiguæ ſunt, aut propterea quid nihil de earum ſitu certi conſtet omiſſæ. Nec moueat animos Lectorum, ſi fortaſſe longitudines & latitudines harum inſularum nonnihil ab aliorum traditione diſcrepent. Supputauimus enim longitudines ab occaſu in ortum: alij contrario ordine procedunt. Latitudinem ſecundum medium inſularum ſumpſimus, quam nonnulli ad locum tantùm applicationis referunt. Verùm neque mirari oportet longitudinis magnam diuerſitatem inter eos qui hodie regiones deſcribunt. Nam & ij, qui alio atque alio tempore nauigant ad has inſulas, non eodem modo* Infortunatæ.

conueniunt. Quod aut artis Astronomicæ errore fieri oportet, aut quòd Lusitani Moluccas insulas in Occasum contrahant, quas reliqui Hispani versus Americam extendunt: vtraque pars ad suam sationem, quæ circa 180. gradus longitudinis finitur, tam diuites nobilésque insulas reducere cõtendens. Ingenti sanè errore. Cùm altera descriptio ab altera in longitudine 30. fermè gradibus discrepet. Nos sanè qui hanc litem absque experientia dirimere non possumus secuti sumus descriptiones Lusitanorum, nobis à Maximiliano Transyluano viro magnæ eruditionis & non paruæ auctoritatis (dum in viuis erat) apud Imperatorem nostrum Carolum Quintum, à quo easdem acceperat, traditas. Quòd si dies aliud doceat, non verebimur cum Ptolemæo recentioribus obseruatis fidem adhibere, modò cum ratione firmentur.

De America.
CAP. XXX.

Bresilia. AMERICA *ab inuentore Americo Vespucio nomen habet, alij Bresiliam vocãt, quæ an continẽs an insula sit necdum satis constat. Incolæ qui proptùs A Equatorẽ consistũt Ca-*

Canibales. *nibales vocantur, atrocissimum genus anthropophagorum. Vicinas enim nationes dira infestant persecu-*

perſecutione, & quoſcunque capiunt in ſuam regionem adducunt. Maſculos autem ſtatim occidunt, & comedunt carnes toſtas aut aliter coctas, aut exectis teſtibus mactandos alunt. fœminas ſeruitijs addicunt. nudi penitus incedunt. Qui deinde ſequuntur vltra Tropicum Capricorni, mitiores ſunt, numinis vice nihil colunt, lege tantùm & inſtinctu naturæ viuunt. viri fœminæq; nudi agunt, niſi ex plumis pſitacorum quaſi pallium longo poſt tergus relicto cyrmate conficerent. Tori maritalis illibatam fidem ſeruant. Labia, aures, genitaliáque perfoſſa lapidibus precioſis ornant foraſ eminentibus. Omni genere ferè metalli carent, ideóque tela oſſe muniunt, lignáque pro ſcaphis lapidea ſecuri excauant. Sagittatores peritiſſimi, natatores expertiſſimi, & curſu admodum veloces exiſtunt. Regio, Breſilia aut terra Papagalli vocatur. Propius ad polum antarcticum circa latitud. 48. grad. alia gens eſt curſu tam celeri, vt equum curſu vincere poſſe videatur. Gygantes non iniuria dixerim, cùm Luſitanorum vix aliquis eos æquârit, quà medij cinguntur. Vagi ſunt, in tuguriolis latitantes, eáſque ſecum tranſportantes. Pauperes ſunt, nihilque eorum terra precioſi producit. Integuntur pellibus ferinis bellè conſutis, arcus ingentes teláque ſecum Breſilia.

 deferunt,

deferunt, capillos in modum monachorum detonsos habent, obstructos funiculo lanugineo, ad quem venaturi tela conuectunt. cùm animam agunt morituri, magnus numerus spirituum malignorum sese illis ostendit, ea figura qua apud nos pinguntur. Pars iam dicta Portugalensium nauigationibus lustrata est, qui vltra hanc transierunt ad insulas Moluccas. Iam verò paucis hinc annis cœpit & littus occidentale ipsius

Peru. *Americæ lustrari, in quo regio Peru deprehensa sub longitudine 290. grad. latitud. Australi 8. 9. & 10. Regio tanta abundans auri copia, vt & vasa in vsum viliorem ex auro conficiantur, & domus nonnullæ integantur. Frumento bis per annum gaudet, animalium omnium ferè genere dotata, feris ac lethiferis animalibus se liberam iactat. Ciuitates habet & regias & multas, legibus atque armis munitas. Incolæ humanitatis non sunt expertes, commerciaq; cum aduenis tractant. Verùm hactenus Christum ignorârunt, quem precamur vt suum spiritum illis donet. Altera verò pars Americæ, quæ ab Æquatore versus septentrionem protenditur, ea quotidie per Castellanos & lustratur & in-*

Parias. *habitatur. Sunt autem tales regiones, Parias*

Dariena. *regio, Cutana, Dariena, cuius vna pars tam arcta est exedentibus vtrinque oceani fluctibus, vt qua-*

vt quatuor tantùm miliaria contineat. hinc oceanus occidentalis est, illinc Eous. Gentes harum, licèt religionis Christianæ ignaræ sint, legibus tamen & viuendi institutis vtuntur. sacra faciunt suo ritu, alij penitus nulla, vt sunt qui Pariam regionem incolunt. In lectis pensilibus dormiunt: domus similes nostris tintinabulis aut campanis extruunt: aurum gemmásque in copia habent. Quæ deinde sequuntur regiones terra Florida & Bacalearum regio, non Florida.
adeò sunt lustratæ nisi secundum littus. Sunt hîc regiones feraciſsimæ, auri omniúmque animantium, campi amœniſsimi, montes excelsi, & fluuij placidiſsimi, ciuitates & turres & domus adfabre constructæ, adeò vt nostra Europa non multò inferior habeatur hæc pars. Populi sunt affabiles & contractus non fugientes: plures eorum ichthiophagi sunt, alij ophiophagi. Inter omnia tamen oppida nullum præstantius in his regionibus aut maius eo, quod Temistelan appellant, secundum nostram descriptionem ferè sub Tropico Capricorni situm, loci q; natura munitum. Est enim situm in lacu maximo, pontibus innumeris vndequaque egredientibus, ædificijs cum Dedali structuris conferendis ornatum. Incolæ scribere nôrunt & legere. Hanc partem terræ multi Asiæ adnectunt, dicunt q;

dicunt q̃, continentem esse: sed horum ratio certa non est, igitur neque temere assentiendum puto. Ego cùm ex nauigationibus Hispanorum & aliorum possem multa adducere, quibus huius descriptionis incommoditatem ostenderem, adducam tantùm vnum argumentum, ne videar omnino frustra huic opinioni reclamare. Marcus Venetus qui omnes regiones Indiæ orientalis lustrauit, ibique ad annos plures habitauit. scribit lib. 3. se per regionem Mangi ad oceanum vsque peruenisse, ibiq̃ nauem conscendisse, & per Garbinum (qui est inter meridiem & zephyrum) ad Cyambam nauigasse miliaribus Italicis 1500. A Cyamba delatus est deinde miliaribus totidem ad Iauam maiorẽ insulam versus austrum ferè. Quonam pacto posset quispiam ex terræ nouæ latere orientali, cùm per eam transitus non sit, versus meridiem ad Iauam maiorem nauigio proficisci? cùm hæc insula nunc obseruata sit apud Indiam. At ego rem incertam experientiæ & Lectorum iudicio committo.

Americacũ Asia non coniungitur.

De Insulis apud Americam.

CAP. XXXI.

Hispaniola.

HISPANIOLA *insula, sub lon. 306. latitud. 22 graduum, admodum culta, vrbibusq̃*

buſq; conſita eſt: nam eius magnam partem nunc Hiſpani incolunt, qui auri fodinas poſſident, in eiſq; operarios ſuo regi alunt. naſcitur enim aurum & in montibus & in fluuijs: ijdem agros colunt, ſemina iactant & ciuitates more ſuo ædificant. Inſulani nudi ferè incedunt, panem ex radice quadam conficiunt, aurum auribus naribuſq; ſuſpendunt. Mittit etiam hæc inſula lignum Guaiacum, quo noſtri tanquam remedio præſentiſſimo aduerſus morbum gallicum vtuntur. Iſabella Cuba vel Ferdinandina ſub lon. 193. grad. la. 23. & ſemis, longè in ortum occaſum q; diffuſa, moribus ſuperiori haud diſſimilis, ferro caret, ſed eius vſum lapis pellucidus ſupplet. Iucatana ſub longitud. 281. grad. latitu 20. Incolæ benigni ſunt & commercia non fugientes: veſtes ex gonſapio diuerſimode tincto conficiunt. Fœminæ ab vmbilico deorſum integuntur, tanta verecundia, vt vitio detur ſi pede aut crure diſcooperto proceſſerint. Huic proxima eſt verſus ortum Cozumella inſula eiuſdem ritus ac inſtituti cum præcedenti inſula. Ab eadem Iucatana 100. quaſi miliaribus Hiſpanicis in occaſum tres ſunt inſulæ Sacrificiorum. Nomẽ indidit ritus nephandus inſulanorum, quippe qui marmoreis ſuis æeis proles ſuas immolant: primùm pectore aperto cor eruunt, eiuſq; ſanguinem labijs deorum ſuorum

Iſabella.

Iucatana.

Cozumella.

Sacrificiorum.

Iuorum illinunt, exta igni iniecta comburunt: alioqui gens satis familiaris & benigna. habent

Iamaica. *lon. 268. la. 23. grad. Iamaica insula sub lon. 295. lat. 15. 30. Insulani adiacentibus similes sunt in moribus & vitæ institutis. Est item infinitus ferè numerus insularum in longitud. 315. latitu. 12. ex quibus sunt Dominica, Guadalupa, Sanctæ crucis, quarum incolæ Canibales sunt, de quorum moribus suprà mentionem fecimus. In lon. rursus 340. grad. lati. 38. Gracioſa, Ternera, S. Michaëlis, Fatalis, & S. Mariæ. Insula viridis quæ alijs Brasil dicitur, in long. 354. lat. 51. Denique vt semel finiam, tantus est in hoc oceano numerus insularum, vt si omnium descriptiones & mores prosequi animus esset, libellus in magnum volumen excresceret. Verùm si quispiam est, qui latiorem harum rerum enarrationem cupiat, alios consulat: nobis satis visum fuit præcipuas tantùm mundi partes breuibus verbis (vt principijs artium opus est) indicare. Neque enim omnem Cosmographiæ, totiúsque orbis descriptionem ad vnguem delineare præsentis fuit instituti, sed tantùm maiores orbis partes rudiori ordine: veluti pictores qui primùm imaginem lineis exterioribus & principalioribus exprimunt, quales sunt capitis, colli, brachiorum, ventris & crurium, postea exactiora & mi-*

& minutiora, ceu oculos, os, labra, singulósque articulos producturi.

FINIS.

Errata sic corrigantur.

Mathematomastiges. B. pag. 1. vers. 9. Insedit. B. pag. 2. vers. 16. Ingenua. B. pag. 3. vers. 27. Cræso lydorum. B. pag. 6. vers. 28. Stipatus. B. pag. 17. vers. 17. vel improuiso ibid. vers. 25. Angustijs ibidem vers. 26. Cursum ibidem. vers. vlt. AEquinoctialem. B. pag. 10. vers. 15. Γεωγραφία. B. pag. 14. vers. 23. Schænis, C. pag. 14. vers. 20. Schænus ibidem. vers. 21. Dicti: D. pag. 2. vers. 12. Porrectæ. D. pag. 3. vers. 5. Obsecro. D. pag. 6. vers. 18. Tres. E. pag. 1. vers. 14. Vni. F. pag. 2. vers. 12. Dimetiendę. F. pag. 6. vers. 7. Exordiamur. F. pag. 17. vers. 7. Sinuum. F. pag. 8. vers. 16. Explicanda. F. pag. 10. vers. 6. Angulos. G. pag. 2. vers. vlt. Viuum. G. pag. 6. vers. 15. Accommodatè. G. pag. 14. vers. 8. Deinde. H. pag. 1. vers. 16. quisque H. pag. 14. vers. 8. Habitata ibid. vers. 19. Omnem. H. pag. 16. vers. 2. Appellatur ibidem, vers. penult. Extremis ibidem. vers. vlt. Paucas. I. pag. 13. vers. 18. Continentes ibidem. vers. vlt.

TSI non sum nescius (lector benevole) peruagatam illâ de rei tractandæ excellentia, vtilitate, atque origine præfandi rationem, â multis, maximeque ab ijs, qui se solos cornicum oculos configere posse arbitrantur, tanquam nimis puerilem, tritam atque vulgarem contemni (recténe an secus ipsi viderint) hanc tamen vel ob id nunc amplector, vt mathematomestiges tandem aliquando fateantur, tantum abesse, vt disciplinæ mathematicæ otiosi ingenij monumẽta sint, & negotiorum neruis spoliatæ; vt vario in rep. vsu reliquis disciplinis non multò inferiores haberi debeant; dignitate verò, hoc est, demonstrationum certitudine, & constantia, multis partibus superiores. Cùm enim reliquæ ferè omnes scientiæ non necessariâ opinionum probabilitate nitantur, non possunt ingenioforum hominum disputationibus non vehementer concuti: Ita enim natura ferè comparatum videmus, vt in omni philosophiæ artiumque genere, quantò acriore quis iudicio, maioreque industria fuerit, tantò à maiorum sententijs crebriùs desciuerit. Sola mathemata, non hominum cõmentis, sed naturæ iudicijs confirmata, omnem ætatem inconcussa pertulerunt: Sola temporum vicissitudinem experta, æquali semper & constanti veritate hominum animos permouerunt. Quid ita? quia is in numeris atque sonorum rationibus ordo cernitur, ea naturæ conspiratio in schematis geometricis, & mutuis interuallorum atque linearum subsi-

dijs sese aperit, vt nata ex his theoremata ad credẽdum non inducant, sed cogant; nec tam assensum eliciant, quam tacita quadam vi exprimant, & sola terminorum cognitione antegressa, extorqueant. Verùm enimuerò nostrorum temporum iniuriâ eueniisse videmus, vt quantò maiores, totius antiquitatis (quæ, quò propriùs a diuina prosapia aberat, eò verius res cernebat) & doctorum omnium consensu, laudes hæ disciplinæ promeruerint, tantò nunc minùs vigeant, minoreque in pretio habeantur. Eò nimirum insatiabilis opum cupiditas, nostra ætate prouecta est, vt nihil amplum, nihil præclarum, nihil ingenij contentione dignũ vulgò putetur, cuius beneficio non turgescant loculi, aut res familiaris non augeatur: Et (quod magis mireris) ita hæc pestis in multorũ animis penitus insedit, vt omnes industriæ suæ neruos ad ingenuas disciplinas exagitandas atque insectandas contenderint. Quare si verũ est, aut potiùs quia Apollinis oraculo est verius, quod Fabium Pictorem dicere solitum accepimus; tùm demum artes beatas fore, cùm de his artifices iudicauerint; non possunt mathemata nunc temporis non esse infelicissima, quo tantùm abest, vt ab artificibus iudicentur, vt ipsi cum his pariter artifices ab inertibus (pudendum) condẽnati, multorum calumnijs expositi iaceant. Sed video querulosum hoc orationis genus, tantò parciùs à nobis hoc loco tractandũ esse, quàtò hæc matheseos pars, quam nunc tractamus, suâ præ cæteris dignitatem acriùs adhuc defenderit, quantoque maiorem, non ab eruditis modò, verùmetiam à promiscuo hominum genere, gratiam iniuerit. Nam cùm Cosmotheoriæ principes partes duæ sint (quarum vna ætheream

theream illam mũdi regionem, à domicilijs noſtris, (vt loquitur Tullius) altiſsimam, omnia cingentem, & admirandâ motuum conſtantiâ, & aſtrorũ ſplendore ſtupendam comprehendit; altera in terræ & circonfluentium aquarum deſcriptione occupatur) de poſteriore, quam Geographiam proprio nomine appellarunt, nobis deinceps ſermo futurus eſt. Hæc enim eſt quæ mediæ ſortis hominum complexibus minimè contẽta, philtro quodam arcano admirabiles ſui amores in principum virorum animis excitauit. Hæc eſt, quæ quaſi põpa & faſtu quodam in ſublime euecta, arces atque atria nobilium petiuit; vbi ita omnes parietes exornauit, vt non iam beluatorum tapetum inani ſpectaculo oculos ludificare, ſed tabularum Geographicarum, cùm vtiliſſimâ, tum gratiſsima varietate mẽtem ſimul & aſpectum paſcere, qui paullò ſunt cordatiores, conſueſcant. Et tantò ſanè prudentiùs, quanto ad animum excolẽdum vtiliùs eſt, per varias orbis terrarum regiones breuiſsimâ tabellâ oculis ſubiectas frequenter peregrinari, quam ludicris canum, ceruorum, accipitrum, volucrum, ſyluarum, arborum, & neſcio quarum rerum, ſimulacris aſpectũ defatigare. Etenim ſi ex his præſentem oculorum delectationem, ſuâ ſpõte illicò perituram, ſuſtuleris, nihil eſt quod prætereà expectes: Contrà verò illæ iucundiſsimam rerum varietatẽ liberali ingenûaq́ue prouinciarum terræ, & regionum cognitione conditam, in animis ſpectantiũ derelinquunt: Illæ mentes non omnino abiectas ad omne diſciplinarum genus inſtructiores reddunt: Illæ denique ad domeſticã peregrinationem, nullis neque itinerũ difficultatibus, neque latronum inſidijs infeſtam, ſingulis, prope dixerim,

momentis inuitant. Neque verò quietũ & tranquillum hoc peregrinandi genus, vel nullã, vel contemnendam vtilitatem habere putandum est: Nam si princeps poëtarum Homerus, præclarum Odissææ opus auspicaturus, Vlyssem (in quo sapientiæ Græcorum Idéá describere conatus est) eo potissimùm nomine, laudibus in cælum euexerit, quòd diuturnâ variarum terræ partium perlustratione, multarum rerum cognitionem didicerit; si insignem oris facundiam, cæteraſque animi dotes, quibus eũdem cumulatissimè ornat, periculosis peregrinationibus terrâ mariq́ue susceptis, assignare non dubitarit; quid est obsecro, quod nos remorari debet, quò minùs Geographiam, & maximè vtilem, & omni laudum genere dignissimam iudicemus? Nonne huius beneficio per omnes orbis terrarũ plagas, vno quasi momento, oculis atque animo peregrinamur? Hac duce nõ vnam modò, cum Vlysse vario vitæ discrimine iactato, mundi regionem, sed totius terræ ambitum, sub tectis, ab omni periculo tuti, & in portu (quod dici solet) nauigantes, obimus? Non vt Vlysses, cursim ac semel tantùm, tanquã hospites & peregrini percurrimus; sed quoties & quandiu libet, obscurissimos terrarum angulos, ac insulas, iniquissimis alioqui locorum spacijs disiunctas, in ipso penatum nostrorum conspectu, cum amicis, domesticis & familiaribus intuemur. Non hîc accinctum ad iter maritum vxor lachrymis retardabit; nõ parentem liberi, non charum amici, non domesticum necessarij lugubri cantu prosequentur. Quid? quòd qui Geographia duce peregrinationẽ instituit, neque aëris inclementiam, neque asperum ventorum stridorem extimescat? Non minantem cæli faciem,

non ma-

non maximos imbres, non repentinum grandinis impetum, nō frigoris horrorē expaueat? Non hunc periculosa fulgura, non ardor Caniculæ, non infesta calore sidera deterrebunt? Non huic metuenda est ex insolente maris æstu nausea, non luctantes venti, non insperatæ procellæ, non denique improuisa piratarum inuasio. Diuertēti non erit molesta hospitis rusticitas; nec cum exteris insolita viuendi ratio peregrinantem conturbabit. Ne multis, tantò domestica hęc peregrinatio hoc tēpore magis necessaria est, quātò in hac hominū improbitate, & varia in religionis capitibus dissensione, maiore tum animi, tum corporis discrimine, diuersæ orbis regiones lustrantur. Sed faciamus (si placet) nusquā improbitati locum esse, homines inter se animis & religione vbique conspirare, omnia denique esse propitia, an tum aspernandus Geographiæ vsus? Nihil minus. Dici etenim vix potest, quātis tabularum Geographicarum cognitio difficultatibus perigrinantes eximat: dum quibus itinerum compendijs vtendum sit, vbi conscendenda montium cacumina, qui maris & fluuiorum circuitus, quæ syluarum saltuum, atque id genus aliorum, impedimenta occurrunt, luculenter, aperteque demonstrat. Vides itaque (lector beneuole) nec sine huius disciplinæ præsidijs peregrinationem, vel suscipi, vel obiri tutò posse; nec ijs qui Geographicis præceptionibus instructi sunt, magnopere esse necessariam. Quod tamen ita accipi nolim, quasi peregrinandi studiū cuiquam dissuadeā, aut tanquā inutile asperner: Quid enim insulsius? maximè cùm non Geographiæ modò parens sit, verumetiá veteribus philosophis adeò fuerit probata, vt Plato asserere non dubitarit sine 12. *dial. de*

peregrinatione & speculatione, inquisitioneque legum, quibus exteræ nationes vtũtur, fieri non posse, vt ciuitas perfecta & omnibus numeris expleta permaneat. Hinc Orphei, Musæi, Solonis, Pythagoræ, Eudoxi, Democriti, atque adeò ipsius Platonis, in suscipiendis peregrinationibus studium singulare fuisse legimus; partim, vt varijs, & eo tempore raris disciplinis animũ excolerẽt; partim vt diuersas terræ regiones lustrando, mores & ritus multorum discerent. Hinc magno omnium consensu decantari solet, eum sapere non posse, qui quasi claudus (vt dici solet) sutor paterni laris angustijs, ijsque quæ domi cernuntur contentus, reliquas orbis prouincias, regiones & ciuitates prorsus ignoret. Sed nũc, vt vndè digressi sumus oratio recurrat, expendamus, si placet, quam sit militiæ ducibus Geographiæ cognitio necessaria. Certè si verùm est, aut potiùs quia luce meridiana est clarius, imperatores hibernandi, castrametandi, aperto cum hostibus marte pugnandi, in insidijs latitãdi opportunitates non debere negligere, in dubium verti non potest, quin locorum descriptiones ad vnguem tenere debeant, quoties vel hostes prosequi, vel eorum impetum à ciuium ceruicibus depellere militari virtute conantur. Annon regionum parum perspecta descriptio summis sæpe imperatoribus exitium, & perpetuam patriæ calamitatem attulerit? Testis sit Cyrus opulentissimus Persarum Rex, qui Cræsolydorũ Rege deuicto, ac Babylone, omnique oriente in suam redactà potestatem, à Tomyride Scytharum Regina, prope Oaxis fluminis transitum, ex locorum ignorantia ita cum vniuersis copijs extinctus est, vt tãtæ cladis nuncius (teste Iustino) nullus relinqueretur. *lib. 1.*

Miserabile

Miserabile dictu; Cyrus orbis terrarum Monarcha, tot tantisque victorijs exultans, post tot fortissimas gentes subactas, exercitu ducentorum miliũ instructus, à fœmina, recentem filij mortem & copiarum stragem lugente, paruâ manu comitata, æternam ignominiæ notá accepit. Quid? quòd Parthorum, Duce Surena, contra Crassum apud Leucas victoria, non aliundè quàm ex locorum insciti manauerit? Notæ sunt Thermopylarũ angustiæ, quæ xerxi & vniuersis persarum copijs dedecus sempiternum, Leonidæ verò Spartanorum regi, gloriam nullis seculis intermorituram pepererunt: Stupendum, me Hercule, Leonidæ facinus, & æterna memoria dignissimum: innumerabili Persarum exercitui (quem montes in plana deduxisse, connexa vallium æquasse, flumina desiccasse fama est) hic primus sexcentis militibus stipatris occurrit: sexcenti sola locorum commoditate freti quinies centenis milibus (auctore Iustino) non resistunt modò, sed vim inferunt; nec vincuntur, sed vincendo fatigati, inter ingentes stratorum hostium cateruos cadunt. Quid multis? nonne quemadmodum is dũtaxat venationem rectè instituit, qui syluam indagine cingendam, habet exploratam: ita imperatores, locorũ situs & opportunitates tenere necesse est? nisi velim prouiso hostium aduentu circumueniri, vel spaciorum angustus cõcludi & comeatu prohiberi, vel iniquo sæpe loco, & magno suorum cum metu, tum periculo, pugnandi potestatẽ facere; vel denique (quod turpissimũ est, & cum ingenti discrimine coniunctum) hostibus terga vertere maluerint. Verum dimissis nunc belli ducibus, cæterisque qui Martis castra sequuntur, ij nobis cursum admonendi sunt, qui Pal-

Strab. lib. 1. 14. & 16.

Lib. 2.

ladis arma tractare ſolent, vt mecum ſeriò recolant, quam neceſſarius ſit Geographiæ, cum in omni re literaria tractãda, tum in poëtarum atque hiſtoriographorum enarratione, vſus. Nam ſi pro rei dignitate hanc ego ſpartam ornare conarer, hæc præfatiuncula in immẽſum volumen creſceret. Adeò omnis generis ſcriptorum monumẽta huius diſciplinæ floſculis crebrò intertexta ſunt. Quare ne ſi in re tam illuſtri, clara atque peruagata multus ſim, ſoli (quod aiunt) facem præferre videar, pedem reprimam, meque ipſe ſuſtinebo, memor Tullianæ illius ſententiæ, ſuperuacaneum eſſe in eo laudando ſumere operam, quod vno ore omnes prædicãt. Tantùm enim abeſt, vt noſtram Geographia commendationẽ requirat, vt ſuis etiam opibus ſatis fulta ſit, & inſita quadam rerum varietate atque voluptate mirabiles ſui amores in hominum animis excitet, foueat, relinquat: vſque eò ſui blanda conciliatrix eſt, vt neminem, in tanta ingeniorũ varietate, vnquam hoſtem habuerit, exceptis pauciſsimis literarum politiorum contemtoribus, qui, qua ſunt inſatiabili diuitiarum cupiditate obcæcati, nihil præclarũ ducunt, quod non ſit (vt loquuntur) de pane lucrando. Hinc illæ ineruditorum hominum occlamationes non ferendæ: Quid ad nos vbi Roma? vbi Carthago? vbi Athenæ? &c. Quid hæc lucri aut quæſtus afferent? non turgeſcit iſtis cogitationibus crumena. Seuerè quidam lucriones iſtos atque cerdones ad Vlyſsis ſocios, qui vbi locorũ eſſent, aut ad quam diuertiſſent ignari, in ſues conuerſi ſunt, relegandos eſſe pronunciauit: Sed neſcio an non rectiùs in piſtrinum tranſportarentur, vbi præter illiberalem quæſtum (quo omnia metiũtur) nihil ſentire aut

tire aut oculis, animóue lustrare queant. Verumenimuerò quandò nec cum huiusmodi mõstris bellum susc ipere, nec Geographiæ ἐγκωμιαστὴν, post innumeros & eloquẽtiâ & dicendi facultate instructissimos, agere animum induxi; nunc ad id, quod nostri cõsilij extremũ est, venio. Licet itaque Geographia, quemadmodum reliquæ disciplinæ mathematicæ, multorũ opinione (sed cõtra grauissimum Iosephi iudicium, qui hunc honorem putat habendũ esse Hebræis) Ægyptijs accepta referatur, pauci tamen Homero antiquiores, quorum ad nos scripta peruenerunt, eam monumentis illustrarũt. Homerum Anaximander & Hæcatæus Milesij, atque hos excipientes Democritus & Eudoxus, pro virili in hoc genere imitati sunt. Hos Dicæarchus, Ephorus atq; Eratosthenes sequuti sunt, magna sanè diligentia viri, qui præter alia quæ priorũ inuentis adiecerunt, terræ ambitũ dimensi sunt. Interiectis postea aliquot seculis, Alexandri Magni victorijs, quæ totũ ferè terrarũ orbem peruaserant, non mediocre incrementum huic disciplinæ accessit. Atque his ferè auctoribus Geographiæ pueritia accepta referri debet. Non enim antè cæpit adolescere, quam recentioribus Romanorum signis regiones occiduæ atque aquilonares aperirẽtur: quo tempore Polybius & Possidonius (authore Cicerone ad Atticum) multò prioribus certiora tradiderunt. Hos deinde Strabo, Dionysius, Plinius, Pomponius Mela, nonnulliq́ue alij sequuti sunt, qui suam in hoc argumenti genere Spartam ita ornarunt, vt Geographiæ adolescentia meritò his parentibus assignetur. Hos excepit Ptolomæus Alexandrinus, qui tempore Adriani Imperatoris, anno videlicet

salutis humanę 150. claruit, nec solũ Geographiam verumetiam omnes ferè disciplinas mathematicas ita illustrauit, vt omniũ calculis, mathematicorum decus habeatur. Tandem etiam nostra ac superiore ætate, non pauci ita in horum studiorum palæstra gnauiter decertarunt, vt nihil veterum industriæ cessisse videantur. Inter hos non obscuro loco sunt Volateranus, Dominicus Marius Niger, Æneas Syluius, Munsterus, Petrus Appianus, Orontius, Gemma Frisius, sexcẽtiq́ue alij, quorum scripta, vt recentiora sunt, ita omnium manibus frequentius teruntur. Neque inuictissimus Hispaniarum Rex Ferdinandus hoc loco citra ἀχαριστίας notam prętiriri potest, qui anno Domini 1491. Missis versus Æquinatialem occiduum ad insulas explorandas, nautis longè expertissimis, omnem eam mundi regionem commodè, contra multorum sententiam, habitari comperit: quod tamen & ante annos mille quingentos Iubam Numidię regem probasse Solinus auctor est; & ante Iubam, referente Strabone, Polybius Megapolytanus idem tradidit. Quid de Christophori Columbi & comitum eius, Petri Olonsi, Vincentij Pinzoni, Americi Vesputij, Magellani, cæterorumq́ue Hispanorum nauigationibus hic dicam? quibus præter infinitas insulas, nouus etiam orbis veteribus incognitus, exploratus est; pars item Africæ Australis, ac Asiæ Orientalis. Ne multis, ita omnes terrarũ anguli iam peruij facti sunt, vt meritò Geographia ad virilem ætatem perducta videri posset, nisi nouæ indies insulæ pertinacissimâ mercatorum in conquirendis opibus industria proderentur. Ac de eius partis Geographiæ (quam nos deinceps historicam appellabimus) initijs pro-

tijs, progressu & incremẽtis sic se res habet. Superest nunc altera (quæ quod præceptionibus contineatur, & subtilissimis Astronomiæ ac Geometriæ demõstrationibus nitatur, ideoque arte & methodo tradi possit, Methodica non ineptè dicitur) duabus partibus comprehensa; quarum vna in tabularum Geographicarum pictura exaranda, altera in circulorum cælestium & partium terræ symmetria atque alijs eôdẽ pertinentibus vertitur. Vtramque, sed maximè priorem, post Ptolemæum, non pauci monumentis exornarunt, at præ cæteris tres hoc nostro seculo insignes in hoc genere artifices, Gẽma Frisius, Gerardus Mercator, & Abrahamus Hortellius: quorum hic in suo orbis terrarũ Theatro Ptolemæum ipsum, ne dum posteriores, si non superasse, certè æquasse videtur. Quid porrò ipse in hoc genere præstiterim, malo aliorum, quam meum esse iudicium: vnum confirmare possum, me his duobus de re Geographica libris (quos tamen non tam animo euulgandi, quàm vt præsenti necessitati seruirem, in auditorũ meorum vsum superiore hyeme conscripsi) vtramque Geographiæ partem, Methodicam (inquam) atque historicam, quanta summa esse potest, breuitate complexũ esse. Reliquum igitur est (candide lector) vt hos nostros labores, tibi & toti reip. literariæ consecratos æquî boni consulas. Vale.

Duaci Catuacorum, Anno salutis humanæ.
CIↃ. IↃ. LXXVI.

Ἰησοῦ δόξα.

IACOBI



IACOBI CHEYNEII AB ARNAGE, V.I.L. DE GEOGRAPHIA LIBER PRIOR.

PROOEMIVM.

Fecit rerum tractandarum dispar sanè ratio, ac natura non parum diuersa, vt Geographiæ explicationē duobus libris complexi simus. Cùm enim hæc, sicut pleræque ferè omnes disciplinæ, præter theoriam (in qua accuratiore methodo singula tractanda veniunt) vsum quoq; & praxim complectatur, non absurdè à nobis in duas partes diuisa est: quarum priorem (quæ subtilioribus, tum Astronomiæ, tum Geometriæ theorematis constat, & scholarum ferè propria est) methodicam; posteriorem, quæ in situ orbis, partiumq; eius diuisione negotiatur, & veluti historiam continet, historicam appellauimus: hanc posteriore, illam priore libro sumus complexi. Sed nunc priorē aggrediamur, quam iterum non incommodè bifariam diuiseris: vtpote in qua, præter communia illa de circulis cœlestibus, terræ figura, quantitate, zonis,

te, Zonis, Climatis, Parallelis (quæ ab omnibus tractari solent) terræ insuper, partiumq; eius atque hydrographiæ describendæ, variæ rationes traduntur.

De Cosmographiæ, Geographiæ & Topographiæ distinctione.

CAP. PRIMVM.

Lib. 1. Geographic. c. 1.

GEOGRAPHIA, *auctore Ptolomæo, est (vt à definitione exordiamur) picturæ totius terræ cognitæ, omniumq; quæ huic adhærent, annectuntur q; imitatio: seu (vt dicamus explicatius) est totius terræ, partiumq; eius, vt singulæ, tum inter se, tum ad Oceanum, & quatuor mundi cardines sitæ sunt, noscendarum ratio. Vndè in obscuro esse non potest, qua potissimum re Geographia & Cosmographia differant: cùm enim Cosmographia sit totius vniuersi (quod ex quatuor elementis, & sphæris cœlestibus conflatum est) principumq; eius partium descriptio; Geographia verò terræ & circumfluentium aquarum sæpta non egrediatur; erit profectò Geographia, Cosmographiæ pars, non secùs atque* ἡ γῆ (vndè γεωγραφία *nomen habet)* τοῦ κόσμου (vndè dicta est κοσμογραφία) *id est, totius vniuersi seu mundi, pars quædam est. Paullò tamen aliter cosmographus, aliter geographus in terra describenda ver-*

da versatur: ille siquidem generali sphærarum cælestium, & terræ in circulos, quibus zonæ circumscribuntur, partitione contentus, singularum regionum, prouinciarum, vrbium, insularum, marium, fretorum, fluuiorũ, &c. sitũ silentio præterit: Hic verò principẽ in his explicandis operam & industriam ponit. Optimè igitur Geographiæ ad Cosmographiã eam dixeris esse rationem, quæ est Topographiæ, Topothesiæ, seu Chorographiæ (hæc enim tria idem significãt & retrocommeãt, nisi Topographiam Historiographis, & Topothesiã poëtis assignare mauis) ad ipsam quam tractamus Geographiam: Est enim Topographia peculiaris alicuius loci descriptio, in qua non tam cõsideratur, quem in vniuerso terrarum orbe situm, ordinem aut locum teneat, quàm quibus regionibus atque limitibus circumfundatur, quibus fluuiorũ & amnium amœnitatibus irriguus sit, quas habeat portuum commoditates, quibus prouincijs, populis, & vrbibus insignis sit: campestrisne an montana sit regio, &c. Quo fit, vt cum Geographia in quantitate & symmetria regionum, tum inter se, tum ad totius terræ ambitũ cõparatarũ versetur; Topographia in qualitate magis, atq; alijs locorũ affectionibus occupata sit. Atque hinc nimirũ accidit, vt topographo nõ tam rerũ mathematicarũ cognitio, quam pingendi peri-

di peritia (sine qua genuinos singulorum locorum typos & idéas exprimere, ac suis coloribus adumbrare nequit) necessaria putetur: Geographũ verò contrà in Astronomiæ atque Geometriæ præceptionibus (sine quibus tabularum geographicarum descriptiones obscuræ sunt, & demonstrationum momentis destitutæ) versatum esse imprimis necesse est. Non enim huic curæ est, quibus quæque regio, prouincia, aut vrbs, typis & coloribus adumbretur, sed sub quo cæli tractu collocetur, in qua longitudine ponatur, quam habeat latitudinem, sub quo pandatur meridiano &c. Quare ab æthereæ mundi parte, & circulorum cælestium breui explicatione initium meritò petemus.

De æthereæ regionis diuisione.

CAP. II.

LICET *æthereæ partis (duæ enim totius vniuersi partes faciunt, vnam ætheream, alteram quæ ex quatuor elementis igni, aëre, aqua & terra constat) descriptio ab eo quod nobis propositum est, munere, aliena videri queat, nec tàm ad Geographiam, quàm Cosmographiam pertinere: profuerit tamen de circulis cælestibus, si non accuratè, certè eátenus disserere, quátenus ad Geo-*

ad Geographiam faciliùs intelligendã conducunt. Fieri enim vix potest, vt is regionum longitudines, & latitudines, climatũ, itẽ & parallelorũ distinctiones (quibus Geographia ferè tota cõtinetur) rectè intelligat, qui ne extremis quidẽ labris cœlestiũ orbiũ & circulorũ descriptionẽ delibauerit. Sũpto igitur ab altissima mũdi regione principio, omnem cæli molem in 10 sphæras partimur, quarum septem incitandis in orbem stellis errantibus (quæ Græcis dicuntur πλανῆται) destinatæ sunt: Octaua verò (quam tanta siderum inerrantium claritate insignem aspicimus) Aristoteli veteribúsque non paucis, ob id fortassè suprema est visa, quòd vsque eò humanæ vis aciei feratur, ibiq; conquiescere, nec vltra eum cæli tractum procurrere videatur. Verũ recentiores animum à consuetudine oculorum abducentes, ex triplici octauæ sphæræ motu nonam præterea esse collegerunt duabus motionibus incitatam, item & decimam, quæ assidua ocyssimaq; vertigine ab ortu occasum versus, atque inde ad orientem circumuoluta, omnes sphæras inferiores secum pertrahit. Enumeratis iam decem cælorũ orbibus, vndecima ex theologorum sententia accessit; quem cælum empyrium ab igneo splendore appellarunt, & æternæ beatorum quieti consecrarunt: Atque hic solus immotus & fixus esse putatur, cum re-

liqui varijs (excepto orbe decimo quem vno tantum motu agi diximus) motibus in orbem incitetur. Horum porrò motuum duo præ cæteris noti sunt, is, inquam, quo ab Eoa mundi parte in occiduam, decimæ sphæræ impetu rapiuntur; & huic contrarius, quo reliquæ sphæræ (licet eò tardiùs aliæ, aliæ celeriùs, quò supremo orbi aut viciniores, aut ab eodem longiùs disiunctæ fuerint) ab occasu per meridiem ortum versus feruntur.

De varia circulorum cœlestium diuisione, & primum de circulis maioribus.

CAP. III.

POSTVLAT *nunc ordo, vt de circulorum cœlestium (quos sumta ex duplici motu iam explicato occasione, plurimos in cœlo mathematici cogitatione depingunt) varietate breuiter agamus. Prima igitur & vulgatissima circulorum diuisio est in maiores, qui cælum in duas æquas partes dispescunt; & minores, quibus cœlum in partes inæquales dirimitur: Prioris generis sunt septem, Aequinoctialis, Zodiacus, Coluri duo, circulus lacteus, Horizon & Meridianus. Quorum postremi duo mobiles sunt & varij, reliqui vbique ijdem & constantes.*

Poste-

Posterioris generis plurimi sunt, sed qui præ cæteris notari solent, quatuor, duo videlicet Tropici, & totidem Polares: quibus, ex Græcorum sententia, Arcticũ & Antarcticum (hos enim ab illis diuersos esse, alibi demonstrabimus) adnumerare licebit. Est itaque circulus æquinoctialis (vt inde petamus exordium) qui medium cæli ita dissecat, vt ab vtroque vertice, æquo distet interuallo: habétque ab eo nomen, quòd sole sub eo decurrente, dies, vbique terrarum noctibus, æquentur. Quò fit vt æquinoctium bis singulis annis recurrat, semel sub 12 Martij, sole Arietis initium subeunte: Iterum verò sub duodecimum diem Septembris, quando sol principium libræ occupat; hoc Autumnale, illud Vernum æquinoctium appellatur, vt fusiùs diximus in priore parte Astronomiæ. Zodiacus est circulus, vel potius fascia quædam lata Aequatorem in punctis æquinoctiorum intersecans, cuius vna pars ad Septentriones, altera ad Austrum inclinat: estq; ob id ab Aristotele circulus obliquus appellatus. Huic 12 signa cœlestia, animalium nominibus atque figuris vtcunque adumbrata, nomen dedisse (nam τὸ ζῳδίον, animal significat) videntur: Nisi mauis Zodiacum appellare, quod τῆς ζωῆς, omnísque ortus & interitus vicissitudo, ex

Lib. 2. de ortu cap. 10.

planetarum, & maximè solis, continente sub hoc circulo motu, originem (teste Arist.) & causam trahat. Intelligitur porrò signifer seu zodiacus solus ex omnibus circulis latitudinem habere, ex veterum quidem observatione, partiũ seu, vt vocant, graduũ 12: cùm recentiores 16 eidem propterea tribuant, quòd planetarum aliqui (vt de Marte exploratum est) vltra citraq; Eclipticam lineam (sic enim appellatur quæ zodiaci latitudinem in duas æquas partes diuidit) octo ferè partibus euagentur. Coluri sunt duo circuli sese ad angulos rectos & sphæricos, in mũdi polis intersecantes: quorũ vnus in puncto æquinoctiorum, alter in puncto solstitiorum signiferum diuidit: vndè hic solstitiorum, ille æquinoctiorũ colurus dictus est. Lacteus circulus, aut potius via lactea (nam circuli perfectionem non attingit) quæ insignioribus aliquot stellis conspicua est, et per initia Geminorum et Sagittarij descripta, sub-obscuro splẽdore, serena nocte se prodit, ad id quod nobis propositum est, nihil adfert adiumenti. Supersunt igitur è circulis maioribus duo, Meridianus inquam, & horizon; quorum hic, quoniam conspicuam cæli partem, ab ea quæ ex aspectu nostro subducta est, disiungit, Finiens, cæli terminus, gyrus, & circulus hemisphærij, à nonnullis dicitur: Est q; illis qui sub Aequatore habitãt, rectus; id est,

Lib. 2. de ortu. c. 10.

Macrob. lib 1 cap. 15. Alfrag.

id est, ad angulos rectos Aequatorem intersecat; reliquis verò obliquus, si substratam polus regionē, vbi horizō ab Aequatore nō differt, excipias: Ille per vtrumque polum, & puncta verticalia (Zenith et Nadir Arabicis nominib° appellata) traductus, Horizontem in duas aequas partes dispescit. Quo fit, vt sole supra horizontē, meridianum nostrum contingente, nobis meridies; Antipodibus verò nox profunda, seu (si ita appellare placet) merinoctiū sit. Hos porrò postremos duos circulos, propterea quod mobiles sunt, mēte concipias necesse est, vt ex finitore, poli altitudinem seu regionis tuæ latitudinem (quæ semper cōcurrunt) cognoscas: Ex Meridiano verò eclipsium diuersa tempora, & regionum versus ortum vel occasum recessus, ac longitudines queas dimetiri. Atque hæc de circulis maioribus.

De circulis minoribus.
CAP. IIII.

QVOD *ad circulos minores attinet, quatuor præ cæteris notari diximus: quorum primus sit Topicus Cancri, sic appellatus, quòd à sole Cancri principium tenēte atque ad æstiuam conuersionem iam inclinante, describatur: quo tempore dies nobis longissimi sunt, noctes autem contractissimæ. Huic ex Austrina*

Aequatoris parte Tropicus Capricorni respondet, quem sol primam Capricorni partem subiens, & brumalem conuersionem inchoans, conficit: vterque ab Aequinoctiali, hic versus Austrum, ille ad Septentriones interuallo partium 23 & ½ reiectus est. His vtrinque proximi sunt circuli polares, à polis non amplius partibus 23 & ½ recedentes, qui à signiferi polis, mundi motu incitatis describuntur. Recentiores quidam, contra veterum doctrinam, hos duos circulos Arcticum & Antarcticum appellarunt: Nam vt ex Posidonio (referente Strabone lib. 2 Geograph.) colligere est, Arcticus & Antarcticus circuli, perinde ac Horizon & Meridianus, pro regionum vario situ & latitudine mutãtur: Horumq; munus (authore Proclo) in eo vertitur, vt hic astra nobis semper occulta, ille sẽper conspicua circumscribat, eaq; re Horizontẽ in puncto contingat. Hactenus de prima circulorum diuisione.

De alijs aliquot circulorum diuisionibus. CAP. V.

Est & alia apud Græcos, & maximè Proclum, circulorum diuisio, in parallelos, obliquos, & eos qui per polos ducuntur. Parallelidicti sunt, quod singuli à sibi proximis, quauis ex

uis ex parte, æquali absint interuallo: Huius generis sunt non solum æquinoctialis & quatuor minores circuli, verumetiam omnes, quos sol ab initio cancri ad principium vsque capricorni mundi motu incitatus, singulis diebus describit; quanquam non tam circuli fortasse, quàm Spiræ, ati merentur. Obliqui sunt tres, Zodiacus, Circulus lacteus & Horizō in sphæra obliqua. Sphæram porrò obliquam intelligō, cuius alter polus sub finiente occultatur, alter verò sublimis est, quod contingit, cùm horizon & æquinoctialis sē angulis obliquis & inæqualibus intersecāt: Hunc sphæræ situm habent, qui vltrà citraq; Aequatorem habitant, nisi æquator finitoris partes teneat, vt cum polus alter vertici capitis ad perpendiculum incumbit: neque enim illis assentior, qui hunc sphæræ situm obliquum appellant. Est itaque ijs omnibus sphæra recta qui iacentes vel sub ipsis polis, vel sub æquinoctiali regiones incolūt: cuiusmodi sunt, qui maiorē Africæ partem inhabitant, &c. Per polos seu vertices ducti circuli sunt tres, Coluri duo & Meridianus: quibus singulorum locorum circuli verticales adnumerari debēt: maximè cum hi meridiani quidā sint. Diuiduntur præterea circuli in mobiles, quo in genere sunt, Meridianus, Horizon, & (ex veterum sententia) Arcticus & Antarcticus, &

immobiles, cuiusmodi sunt Aequator, Signifer, Coluri duo, duo item Tropici, & totidem polares, ac circulus postremo lacteus. Sunt praterea & alij quidam circuli, qui altitudinũ seu positionum appellantur, corona instar, verticem ambientes, de quibus infra, quatenus instituti nostri ratio postulat, dicemus, item circuli horarij per mundi cardines deducti, atque Aequatorẽ in omni sphæræ situ in partes 24 æquales dispescentes. Circuli postremò domorũ seu ἀποτελεσματικοὶ ab astrologis, præ cæteris diligenter solent adnotari: verum quia de his in sphæræ explicatione pluribus actum est, & ad Geographiæ cognitionem non admodum necessarij sunt, à nobis citra reprehensionis notam præteriri possunt.

De præcipuis aliquot circulorum officijs. CAP. VI.

VARIOS *esse circulorum iam explicatorum vsus, officia ac munera, ex sphæra notius est, quàm vt à me demonstrari debeat; non fuerit tamen ab instituto nostro alienũ principes aliquot circulorũ vsus hoc loco vniuersè repetere. Quod igitur ad Aequatorẽ attinet (vt eo, quo explicati sunt ordine percurramus singulos) præter quã quod suprema sphæra, motũ metiatur, ac totã cæli faciem in duas æquas partes diuidat, æquino-*

æquinoctiorum etiam tempora distinguit, & ad intelligẽdas regionũ, tum longitudines, tum latitudines est imprimis necessarius: Est enim regionis latitudo eius ab Æquatore versus Austrum, vel Septemtriones recessus. Longitudo verò, arcus est Æquatoris, Meridiano fortunatarum insularum (in his enim initium Occidentis, & primus longitudinis gradus à Geographis statuitur) & regionis propositæ Meridiano comprehensus. Sed de his infrà. Æquatorem sequitur zodiacus, qui præter varium, quem in planetarum motibus, Situ & latitudine, Solis etiam ac Lunæ defectibus intelligẽdis vsum habet, dierum insuper & noctium inæqualitatem, ortus et interitus, atque temporum anni vicissitudinem procurat: Totam postremò zonæ torridæ latitudinem circumscribit. Hunc sequuntur Coluri duo, qui nõ solùm quatuor zodiaci punctos, duos (inquam) æquinoctiorum, et totidem solstitiorum, quibus maximæ ex solis motu mutationes accidunt, ob oculos ponunt, verùm etiam zodiaci polos excipiunt: & ipsorum à mundi polis veram distantiam ostendunt. Coluris proximi sunt Horizon & Meridianus, et inter maiores circulos postremi: Quorum beneficio non solum omnem cæli molem astrologi in 12. domicilia (ex quorum situ & affectione tota ferè diuinandi ratio pendet) describũt, verum

etiam Geographi longitudines & latitudines regionum dimetiuntur, ac in topographicis picturis exarandis vehementer adiuuantur: Prima siquidem regionem aliquam describere voleti, cura esse debet, vt lineam meridianam, & horizontis atque æquinoctialis intersectionē cognitam perspectamq; habeat: Sed de his suo loco plura. Supersunt nunc circuli minores quatuor (lacteū enim circulum, Arcticum item & Antarcticum, ex veterum sententia mobiles, quia ad institutum nostrum non admodum necessarij sunt, missos facimus quibus tum in cælo, tum in subiecto terræ & circumfluentium aquarum globo, quinque Zonarum interualla definūtur. Nam tropici duo Zonam mediam vtrinque ambiunt: Huic adiacentes vtrimque zonæ tēperatæ, tropicis duobus, totidemq; polaribus circulis coërcentur. Zonæ porrò frigidæ à circulis polaribus circumscriptæ, à forma orbiculari qua præditæ sunt, orbes à nonnullis appellātur: Sed de his mox plura. Nunc de geometrica circuli cuiusque in 306 partes diuisione dicamus.

De geometrica circuli in 360 partes diuisione. CAP. VII.

SVPEREST, *quoniam de circulorum varietate, formis, atque præcipuis officijs breuiter quidem, sed ad institutū nostrū appositè di-*

tè dictū est, vt circuli γεωμετρικῶς in suas partes diuidendi rationem pestringamus: Principiò igitur sciendum est, duodecimā orbis cuiusque partem, signum appellari: signi iterum partem trigesimam, gradum esse, qui latinè loquētibus pars dicitur: In singulis rursus gradibus scrupula esse 60, quæ etiam minuta prima dicūtur: & in singulis scrupulis esse 60 secunda, ac sic deinceps vsque ad decima. Quò fit vt circuli omnes, sed præ cæteris, maiores, in partes 360 diuidantur, hac arte: ducenda primum linea est per centrum circuli, quæ ipsum in duas partes diuidat; hanc alia per cētrum similiter ducta, ad angulos rectos dispescat. Circuli deinde in quatuor partes ita diuisi, singulos quadrantes in tres æquas partes describito: Harū porrò singulæ, si in tres partes abeant, orientur partes 36: quarum singulæ si primùm bifariā, deinde in quinq; partes æquales distribuātur, circulū 360 partibus expletum conficient. Atque hac est recepta à Latinis circuli diuidēdi ratio: Cæterū Græci 60 tantū partes facere cōsueti, postquā circulū in 12, vt dictum est, partes descripserūt, singulas iterū quinaria diuisione partientes, 60 partes eliciunt: quarū vnaquaque 6 partibus latinorū respondet. Illud hoc loco prætereundum nō est, Sexagenariam hanc diuisionem, præ cæteris nō immeritò mathematicis probatā esse, propte-

propterea quòd numerus 60 citra fractionũ molestias, varias sectiones recipiat (atuiditur enim exactè & præfinitè per 2. 3. 4. 5. 6. 10. 15. 20. & 30.) eaq; re in motuum calculo magnum ratiocinandi compendiũ præstet. Ac de circulis quidem eorumq; officijs & diuisione satis: nunc ad terram transeamus.

De terræ ambitu, & varijs mẽsuratum Geographicarum nominibus.

CAP. VIII.

TERRÆ *ambitum ex corporum cælestium & terræ inter se ratione, definiẽdum esse, satis inter omnes conuenit: at qua sit cæli ad terram ratio, magna dissensio est. Licet enim terrestres circuli perinde ac cœlestes, in 360 partes diuidantur, quanta tamen pars terræ singulis in cælo gradibus respondeat, certò deffinire difficile est & arduum. Hinc Geographorum (vt eos silentio inuoluam, qui mathematicorum in terra dimetienda laborem, vt irritum ac vanum irrident) inter se δυς διὰ πασῶν dissentientium manarunt hac de re opiniones. Nam Eratosthenes & hũc sequuti Ambrosius, Macrobius, Theodosius & Plinius, 700 stadia singulis cæli partibus respondere existimarunt. Ptolomæus verò 500. Thebitius, Almæon & Alfraganus 544. seu miliaria*

miliaria 56 & $\frac{2}{3}$. Ioannes Regiomontanus 640 Sunt porrò ex recentioribus nonnulli, qui se exploratum habere intrepidi asserunt, singulis cæli gradibus 68 Italorum miliaria, passus 45 & $\frac{12}{72}$. seu stadia 544. passus 45. & ferè $\frac{1}{4}$. assignari debere. Si igitur recentiorum sententiam sequamur 68 miliaria, 45 passus & $\frac{17}{72}$. in partes 360 ducētur; prodibunt q̄ 24514 miliaria, 285 passus, & $\frac{5}{7}$. quibus terræ ambitus definitur. Ambitus porrò si ducatur in 7, ac numerus inde natus per 22 diuidatur, prodibit dimetientis lineæ quantitas, miliarium 7800. Licebit etiam totius terræ, seu verius, omnium eius dimensionum capacitatem elicere: Si videlicet dimetiens in se cubicè ducatur, & numerus qui inde oritur per 22 diuidatur, ac postremò proueniens ex diuisione numerus, ducatur in 11. Sed hæc alterius loci propria sunt. Nunc quoniam in terræ dimetiendæ mentionem incidimus, non abs re fuerit, de Geographicarum mensurarū generibus paucula quædam subjicere. Granum itaque (vt à minimis exordiamur) quarta digiti pars est, digitus quarta pars palmi minoris (maior enim qui dicitur Græcus τετραμὴ digitos 12 continet) quē Græci παλαιστὴν vocant. Palmus quarta pars pedis. Pedes porrò quinque passum geometricum (hic enim simplicem & vulgarem passum geminatum continet)

Io. Fern: Cosmotheo c. 1. & ibidē in schol.

tinet) conficiunt. Passus 125 stadium commune (sunt enim multa stadiorum genera) & octo stadia, miliare Italicum seu cõmune metiũtur. Quo loco notabis non eandem apud omnes gentes miliarij mensuram esse: Nam Itali, Scoti & Angli miliari communi, passibus mille, aut (ex Campani & Almæonis sententia) mille ducentis constante, vtuntur: Francorum verò & Hispanorum miliaria (quæ ipsis leucæ dicuntur) bis mille passus continent: Quanquam nec ipsarũ leucarum constans est apud omnes mensura; dum alibi bis mille, alibi ter mille, plerisque etiam in locis 1500 passibus absoluuntur. Germanorum quoque miliaria varia sunt: Alia enim dicuntur communia, alia magna, hæc 6000, illa 4000 passuum perficiuntur: His vtuntur Sueui, illis reliqui ferè Germani. Cæterum Græci non miliarijs (est enim miliariũ à mille deductum Latinorum proprium) sed stadijs terræ ambitum definiunt: Aegyptij verò Schœmis, & Persæ Parasangis. Est autem Schœmis vocabulum ab AEgyptijs profectum 60 stadia significans: Parasanga verò vox est origine Persica, 30 stadiorum spatium denotans. Sunt & alia mensurarum geographicarum nomina (vt vncia tres digitos complectens: Dychas duobus palmis constans, τριθαμὴ tribus, Pertica 10 pedum mensura, Cubitus 6 palmo-

Vide lib. Georgij Agric. de pond. & mensuris.

palmorum, &c.) sed hæc ad institutum nostrum sufficiunt: Nunc ad interruptam zonarum explicationem recurramus.

De terræ figura & zonarum distinctione.

CAP. IX.

TERRAM *in medio mundi sua vi fixam cohærere, & cum circumfluentibus aquis vnũ globum efficere (quod in Geographica consideratione perpetuò præsumendum est) esséque centri instar, si ad vniuersam cœli molẽ conferatur, cum ex Arist. tum ex mathematicis demonstrationibus notius est, quàm vt à me hoc loco in controuersiam vocari debeat. Siue enim lunæ in ipsa oppositione defectum, siue Horizõtis et Aequatoris, in partes æquales intersectionem considéremus; siue etiam stellarum, quæ ab ortu in occasum per meridiem feruntur, æquabilem semper magnitudinem ob oculos ponamus, comperiemus terram ad cœlum collatam, non modò punctiformem habere, verùm etiam cum circumfusa aquarum mole medium mundi occupare: Cum præsertim cæli pars media nobis, vbi vbi sumus, semper conspicua sit: & vnaquæque terræ pars, insita quadam virtute, ad locum, quantò potest centro viciniorem, conten-*

Lib. 2. de cœlo. c. 14. Vide Strab. lib. 3. Adag. Plin. lib. 1. Nat. Host. c. 71.

contendat. Prætereo nunc lunæ eclipſes, ex terræ interpoſitu, globoſæ maculæ ſpeciem præ ſe ferre: Taceo etiam ſtellæ polaris altitudinem ab ijs, qui ad Boream vergunt, maiorem deprehendi, quam ab ijs, qui vergunt ad Auſtrum: ſtellas antè Eois quàm occiduis oriri, diem antè illis quàm his illuceſcere, hæc (inquam) atque id genus alia à Ptolemæo & alijs ſexcentis fuſiſſimè tractata ſilentio libens inuoluo. Nunc ad zonarum (quas Martianus faſcias, Macrob. cingula, poëtæ plagas, Cicero maculas appellarunt) diſtinctiones venio. Quatuor circulis minoribus vniuerſum cæli corpus (vt dictum eſt) atque huic ſubiecta terra, in quinque zonas ſeu plagas diuiditur: quarum media, quæ ſub zodiaco duobus Tropicis coërcetur, quaſi perpetuis ſolis ardoribus torreretur, torrida vocata eſt. Hanc vtrinque claudũt zonæ temperatæ; vna verſus Auſtrũ, altera verſus Septentriones: quarum illa circulis Capricorni & Antarctico, hæc polari altero, & circulo Cancri definitur. Vltra has, duæ ſunt zonæ frigidæ ſub vtroque mundi vertice circulis polaribus incluſæ: Ac de numero quidem zonarum inter omnes bellè conuenit, ſi Polybium & Martianum cæteroſq́, qui Antipodum Hemiſphærium à noſtro, immenſo Oceano, nec permeabili, diſcludi putarunt (quorum ſententia pridẽ exploſa eſt) excipias:

Lib. 1. περὶ τῆς μεγαλ συντ. c. 3. 4. 5. & 6.

excipias: Quorum ille, torridâ zonâ per Aequatorem in duas diuisa, sex constituit: hi verò decem, quinque quidem in nostro, & totidē in Antipodum orbe feciſſe videntur. De habitatione & qualitatibus, cœliq; tēperie magna diſſenſio eſt: Nam cùm veteres ferè omnes, tres zonas inhabitabiles eſſe putarint: Torridam quidem ex nimio ſolis, vltro citroq; commeantis, æſtu, & duas polares ob frigoris aſperitatē & gelu perpetuum; recentiores deprehenderunt tātùm abeſſe, vt zona torrida inhabitabilis ſit, vt etiam optimè habitari poſſit. Neque verò veriſimile eſt eam vehementer calore aduri; maximè cùm perpetua dierum & noctium æqualitate temperetur. Hac de re plura Albertus c. 6. lib. de locorum nat: & cap. 19. tract. lib. 3. meteor. & Ptol. lib. 2. περὶ τῆς μεγάλης συνταξ. Quod porrò ad zonas polares attinet difficulter illæ quidē incoluntur, non ſunt tamen inhabitabiles: compertiſſimum enim eſt Iſlādiam (vt cæteras regiones Aquilonares præteream) incolis non eſſe infrequentem: cùm tamen vltra circulum Arcticum ſita ſit, & perpetuo octo mēſium gelu clauſa. Quare crediderim eorum, qui iſtas mundi plagas incolunt corpora naturæ beneficio contra frigoris intemperiē eſſe munita: & minus quam aliorum, qui calidiores mundi partes inhabitant, frigoris inclementiæ

Lege Ludouic. Ro. lib. 6. ſuæ nauigat. cap. 26.

esse infesta. Verùm enimuerò non immeritò dubitauerit quispiam, vndè gainaria ista zonarum distinctio manauerit: Et certè videtur partim ex diuersa cœli temperie, partim ex varia vmbrarum ratione descendisse. Quò fit, vt qui mediam zonam incolunt, ab ambiguis vmbris, quæ sole meridiem tenente, aliàs in Boream, aliàs in Austrum eiiciuntur, Amphiscij appellentur: qui verò plagas temperatas, ab altera vmbra Heteroscij, sicut qui zonas polares occupant, à circumfusis in orbem vmbris Periscij dicti sunt. Hæc cùm ita sint, parum considerate Polybius zonam Torridam in duas partes dissecuit; cùm præsertim ijsdem qualitatibus tota hæc plaga subiecta sit, & vmbras similiter vtrinque eiiciat. Superest, vt de zonarum longitudine & latitudine, ne quid intactum relinquatur, quod huius loci proprium est, paucis agamus. Quod ad longitudinem attinet, eadem zonarum est, quæ circulorum, quibus circumscribuntur: circulos porrò maiores vel minores esse, prout magis, minúsve à polis absunt, in confesso est. Latitudo quoque varia est, & minorum circulorum inter se distantijs definienda: Quò fit, vt zona torrida, siue Boream, siue Austrum spectes, latitudine partium 23 & ½ (quæ eadem Poli altitudo est) termine-

minetur : Hinc deinde initium sumunt plagæ temperatæ, pertinentq; ad latitudinem partium 60 & scrupulorum circiter 30. Has sequuntur zonæ frigidæ, adipsos vsque polos, quos omni ex parte ambiunt, porrecta. Ac de zonis multa satis, nunc ad climata transeamus.

De Climatis.

CAP. X.

CLIMATA (*ab inclinato ad Horizontem Aequatore sic appellata*) *à veteribus, quibus globi terreni non exigua pars incognita fuit, septem enumerari consueuerunt: at qui non tam authoritate, quàm ratione veritatem exquirent, plura constitui debere deprehendent. Cùm enim clima terræ habitatæ spatium sit duobus parallelis comprehensum, in quo longissimo die dimediatæ horæ mutatio accidit (hanc enim à veteribus definitionem mutuamur) certum est ab æquinoctiali ad eum vsque locum, vbi dies longissimus horis 24. definitur, climata quatuor & viginti interiacere: Inde verò ad polum vsque proximum, siue is Arcticus sit, siue Antarcticus, climatum distinctio minus certa est: propterea quòd non iàm horis dimidiatis, sed integris*

primùm diebus, mox hebdomadis, ac tandem totis menſibus dies ita augeatur, vt ſub ipſis polis, hemiſphæriorum vnum ſex menſium luce perpetua exhilaretur, altero in denſiſſimis tenebris elanguente. Ex quibus & illud non obſcurè intelligitur Parallelorum apud Ptolomæum cæteroſq́ veteres, deſcriptionem imperfectam eſſe: Nam cùm climatum ad Parallelos ratio dupla ſit (hi enim quadrãtibus, illa ſemiſſibus horarum diſtinguũtur) ſint q́ climata 24 dimidiatæ horæ incrementis definita, efficitur neceſſariò 48 conſtitui debere parallelos: maximè cùm ſingula climata binos parallelos complectantur. Sed de his mox plura, nunc ad climata reuertamur. Climata ex veterum (qui in ſeptenario numero conquieuerunt) doctrina ab inſignioribus locis per quæ climatis cuiuſque medium porrigitur, nomina acceperunt: vnde primum per Meroën Africæ vrbem Nilo circumfuſam decurrẽs, διὰ μερόης vocatur. Secundum διὰ Συήνης. Tertium διὰ Ἀλεξανδρείας. Quartum διὰ Ῥόδου. Quintum διὰ Ῥώμης. Sextum διὰ ποντοῦ. Septimum διὰ Βορυσθένους. His à nõnullis adijcitur octauum per Meotida paludem tranſcurrens; item & nonum per Cymbricam Cherſoneſum (quæ nunc Dania dicitur) & latitudinem 55 partium: Nec his plura adjcienda cenſent, propterea quòd, quæ indè ad

polum

polum loca adiacent, vix habitari posse arbitrentur. Verùm hos toto cælo errare, non modò Scotia nostra (cuius polus versus Aquilonem partibus 59 sublimis est) & vltrà hanc Orcades Insulæ; sed multò magis Islandia, & aliæ regiones septentrionales vltra circulum Arcticum sitæ, argumento sunt: cùm præsertim certâ nunc experientiâ has, & habitatione frequentes, & ijs rebus quæ ad vitam degendã necessariæ sunt, probè instructas esse constet. Atque hæc de climatis, quæ ad Septentriones incũbunt, accipienda sunt; quãquam non obscurè ex his, quæ Meridiem respiciunt intelligẽtur, maximè cùm ijsdem nominibus (adiecta tantùm præpositione ἀντί) appellentur, eodemq; numero, & ijsdem planè spatijs circumscribantur. Nunc ad parallelos calamum conuertamus.

De Parallelis, & curſim de Antæcis, Pæriæcis, & Antipodibus.

CAP. II.

ILLVD *nunc vsu in terra describenda receptum video, vt triplices paralleli adnotentur, quorum alij denis, plurimùm, vel quinis partibus discluſi, regionũ latitudinem, sumto ab Aequatore initio, distinguunt; Alij zonarum interualla, vt dictum est, metiuntur: Tertij denique*

(quorum explicatio huius loci propria est) artificiales vocantur, quia dierum artificialium differentias ostendunt, solentque tabularum geographicarum (quas chartas, seu mappas vulgus appellat) marginibus appingi. Hos Ptolomæus quidem, & cæteri veteres munero 21 concluserunt; atque horum vltimum per Norvegiam (vbi polus partibus 63 eleuatur, & dies longissimus horarum plus minus 20 est) transcurrētem fecerunt. Verùm nos ad eum vsque terræ tractum vbi sol totis 24 horis nostrum Hemisphærium illustrat, parallelos 48 describi debere dixímus; vt nimirum parallelorum distinctio, non cum climatis modò, & dierum longissimorum incrementis vbique conspiret, verùm etiam per vniuersum terræ cognitæ tractum pertineat. Atque vt prescius cum istis agamus, obsecro quomodo fieri potest, vt in 21 parallelo dies longissimus horarum, plus minus, 20 sit, si singuli paralleli singulis horarum quadrantibus definiantur? nisi fortè inæqualibus, ex quorundam sententia, horarum incrementis vniuersam parallelorum distinctionem perturbemus. Sed profuerit fortasse tùm vulgarium, tùm verorum (sic enim distinctionis causa appellamus) climatum & parallelorum differentias, cum dierum maximorum incrementis, & poli altitudine

dine congruentes, breuibus Schematis ob oculos ponere.

Schema vulgarium Parallelorum.

Parall.	Altitudo Poli		Dies longissimus.	
	G.	M.	H.	M.
1	4	15	12	15
2	8	30	12	30
3	12	45	12	45
4	16	35	13	0
5	20	30	13	15
6	24	15	13	30
7	27	30	13	45
8	30	45	14	0
9	33	40	14	15
10	36	24	14	30
11	39	0	14	45
12	41	20	15	0
13	43	15	15	15
14	45	24	15	30
15	48	40	16	0

16	51	50	16	30
17	54	30	17	0
18	56	30	17	30
19	58	20	18	0
20	61	10	19	0
21	63	16	20	0

Schema Climatum & Parallelorum cum Poli altitudine, & longissimorum dierum quantitate congruentium.

Parall. veri	Climata vera	Climata vulga.	Dies longissimus		Altitudo Poli		Parallel:	vera clima:	Dies longissimus		Altitudo Poli		Parallel	Dierū nat: absq; noctē continuatio	Altitudo Poli	
			H	M	G	M			H	M	G	M		di.	G	M
0			12	0	0	0	24		18	0	58	26	48	1	0	66	30	0
1	1		12	15	4	21	25	13	18	15	59	15	49	5	0	66	31	20
2			12	30	8	36	26		18	30	59	59	50	10	0	66	35	10
3	2		12	45	12	46	27	14	18	45	60	39	51	15	0	66	41	12
4		1	13	0	16	41	28		19	0	61	16	52	20	0	66	50	32
5	3		13	15	20	30	29	15	19	15	61	51	53	30	0	67	16	0
6		2	13	30	24	10	30		19	30	62	23	54	40	0	67	51	2
7	4		13	45	27	34	31	16	19	45	62	53	55	50	0	68	35	40

8		3	14	0	30	48	32		20	0	63	20	56	60	0	69	29	26
9	5		14	15	33	44	33	17	20	15	63	45	57	70	0	70	31	58
10		4	14	30	36	29	34		20	30	64	8	58	80	0	71	42	30
11	6		14	45	39	3	35	18	20	45	64	29	59	90	0	72	0	44
12		5	15	0	41	21	36		21	0	64	48	60	100	0	74	25	44
13	7		15	15	43	30	37	19	21	15	65	5	61	110	0	75	56	48
14		6	15	30	45	29	38		21	30	65	20	62	120	0	77	33	27
15	8		15	45	47	19	39	20	21	45	65	34	63	130	0	79	15	32
16		7	16	0	48	59	40		22	0	65	46	64	140	0	81	1	51
17	9		16	15	50	32	41	21	22	15	65	56	65	150	0	82	51	54
18			16	0	5	57	42		22	30	66	5	66	160	0	84	45	0
19	10		16	45	53	15	43	22	22	45	66	13	67	170	0	86	42	31
20			17	0	54	28	44		23	0	66	19	68	180	0	88	37	6
21	11		17	15	55	35	45		23	15	66	24	0	182	2	90	0	0
22			17	30	56	36	46	23	23	30	66	27						
23	12		17	45	57	33	47		23	45	66	29						
24			18	0	58	26	48	24	24	0	66	30						

Ex hac Parallelorum & Climatum inter se comparatione, varia incolarum nomina oriũtur: alij enim dicuntur ἀνοικοι, *alij* περιοικοι, *nõnulli* ἀντίποδες: Ανοικοι *sunt quibus lõgitudo & la-*

titudo sub eodem meridiano, sed non versus eundem Polum, æquales sunt: his dierum noctiumque communio est, nisi fortasse ab Aequatore 67 partibus, aut circiter, vtrimq; absint: at anni tempore diuersa sunt: Nam his hyems est, dū illis est æstas, nisi vtrique intra Tropicos habitent: tum enim simul hyemem habere possunt. Περιοικοὶ *dicuntur, qui sub eodem Meridiano eundem incolunt parallelum, eadem anni tempora, constitutionem cœli eandem, simili áque dierum incrementa, omnia denique habēt cōmunia; nisi quòd, dum his dies illuxit, illos nox intempesta opprimat: excipiēdi tamē sunt, qui polis sunt vicinio-res, hoc est, qui latitudinē partiū 67 transgressi sunt; Nam diem hi eodem tēpore habere possunt.* Sequuntur ἀντίποδες, *seu* ἀντίχθονες, *quibus nihil commune est, nisi sub torrida Zona siti sint: Tum enim his perindè ac periœcis, præter diei & noctis vicissitudinem nihil diuersum est: At vltra citraq; plagam adustam habitantibus, cœli temperies, anni tempora, dierum incrementa, omnia denique contraria sunt. Vtrum porrò Antipodes sint, à plærisque vehementer dubitatum est: nonnulli etiam, vt B. Aug. lib. 16. c. 9. de ciuitate Dei. & Lactantius Firmianus esse omninò negare videntur: verum manifesta iam experiētia huic dubitationi nullū locū reliquit. Quod itaque*

lib. 3. diuinarum institut. cap. 24.

itaque ad Lactãtium attinet nulla ratione nititur. B. Auguſt. verò non tam antipodas eſſe negare videtur, quàm eò modo eſſe quo veteres putarunt, nẽpè, immenſo nec permeabili Oceano à nobis diſcluſos: quod certè à D. Auguſt. non minus verè, quam adinſtitutum ſuum appoſitè negatum eſt. Cùm enim cap. 8. aſſeruiſſet omnes homines, quamcunque terrarũ plagam incolerent ab Adamo originem ſumpſiſſe, facilè prouidebat veterum illam de antipodibus opinionẽ ſuæ ſententiæ aduerſari. Sed de his alij latiùs. Nunc vt diſputationi de climatis & parallelis poſtremam manum imponamus de vmbrarũ in ſingulis obſeruatione breuiter agendum eſt.

Vide Ioach. vadian. in epiſt. ad Rud. Agricol.

De rationibus vmbræ & Gnomonis ad quaſlibet regionum, ſeu cœli inclinationes.

CAP. XII.

VETERIBVS *fuiſſe familiare ex vmbrarum rationibus horas cognoſcere, extra controuerſiam eſt: nam horologiorũ (quæ* αὐτόματα, *ſeu ſponte ſe mouẽtia dicimus, ex quibus horæ communes & æquales cognoſcuntur) vſũ nõ ita pręcẽ inuentũ eſſe argumẽto eſt, quod cõſtet horas inæquales ſeu* καιρικὰς, *id eſt, Tẽporales 100 annis poſt trãſlatũ à Græcis ad Germanos, operâ Caroli Magni, imperiũ, in vſu fuiſſe, verùm*

Vide Ptol. lib. 2. περὶ τῆς μεγαλ συνταξ.

verùm quia non eadem vbique vmbrarũ ad gnomonem ratio est, sed ex varia regionum latitudine, alia atque alia, placuit principes vmbrarum differentias secũdum varias latitudines regionum ex recẽte obseruatione obliquationis zodiaci 23 partium & 28 ½ scrup. in tab. sequentem conijcere.

Rationes Vmbrarum & Gnomonis supputatæ ad varias cœli inclinationes, siue regionum latitudines.

Latitudines.	Qualium. Aestiualis Par. 1	Gnomon Aequinoct. Par 1.	60 Brumalis Par. 1	Qualium Aestiualis Par. 1	Gnomon æquinoct. Par. 1	12 Brumalis Par. 1
1	24 49	1 3	27 18	4 58	0 12	5 27
2	23 36	2 5	28 35	4 43	0 26	5 48
3	22 24	3 8	29 53	4 27	0 38	5 58
4	21 12	4 11	31 12	4 14	0 50	6 14
5	20 3	5 15	32 32	4 0	1 3	6 30
6	18 53	6 18	33 54	3 46	1 15	6 47
7	17 44	7 22	35 18	3 32	1 27	7 3
8	16 36	8 26	36 44	3 19	1 41	7 21
9	15 29	9 30	38 11	3 6	1 54	7 38
10	14 22	10 34	39 40	2 52	2 7	7 56
11	13 16	11 39	41 12	2 40	2 20	8 14
12	12 10	12 45	42 45	2 26	2 33	8 33

13	11	5		13	51		44	21		2	13		2	46		8	52
14	10	0		14	57		46	0		2	0		2	59		9	12
15	8	56		16	4		47	41		1	47		3	12		9	32
16	7	52		17	12		49	24		1	34		3	25		9	53
17	6	48		18	20		51	11		1	21		3	40		10	14
18	5	45		19	29		53	2		1	9		3	54		10	37
19	4	42		10	39		54	56		0	56		4	8		11	0
20	3	38		21	50		56	53		0	43		4	22		11	22
21	2	35		23	2		58	54		0	31		4	36		11	46
22	1	32		24	14		61	0		0	18		4	50		12	12
23	0	29		25	28		63	10		0	5		5	5		12	36
24	0	33		26	43		65	25		0	6		5	20		13	5
25	1	36		27	58		67	45		0	19		5	35		13	33
26	2	38		29	15		70	11		0	31		5	51		14	2
27	3	41		30	34		72	43		0	43		6	7		14	32
28	4	44		31	54		75	21		0	57		6	23		15	4
29	5	48		33	15		78	7		1	10		6	40		15	37
30	6	52		34	38		81	0		1	22		6	56		16	12
31	7	56		36	3		84	2		1	35		7	13		16	48
32	9	0		37	29		87	13		1	48		7	30		17	26
33	10	4		38	57		90	34		2	1		7	47		18	7
34	11	8		40	28		94	5		2	13		8	5		18	49
35	12	14		42	1		97	49		2	26		8	24		19	35
36	13	19		43	35		101	45		2	40		8	43		20	31
37	14	25		45	12		105	56		2	53		9	2		21	11
38	15	32		46	52		110	23		3	6		9	22		22	4
39	16	40		48	35		115	8		3	19		9	43		23	11
40	17	48		50	20		120	11		3	32		10	4		24	1
41	18	57		52	9		125	39		3	48		1025			25	8
42	20	6		54	1		131	30		4	2		1048			26	18

43	21	16	55	57	137	45	4	16	11	11	27	34
44	22	27	57	56	144	46	4	25	11	31	28	58
45	23	30	60	0	152	7	4	42	12	0	30	25
46	24	53	62	8	160	16	4	57	12	25	32	3
47	26	7	64	20	169	14	5	13	12	52	33	50
48	27	22	66	38	179	4	5	28	13	19	35	49
49	28	39	69	1	190	0	5	44	13	48	38	0
50	29	59	71	30	202	14	6	0	14	18	40	26
51	31	15	74	5	216	0	6	15	14	49	43	12
52	32	37	76	48	231	35	6	31	15	22	46	19
53	33	59	79	37	249	26	6	47	15	55	49	53
54	35	23	82	34	270	5	7	4	16	30	54	1
55	36	48	85	41	294	15	7	21	17	8	58	51
56	38	15	88	57	321	57	7	39	17	48	64	35
57	39	45	92	23	357	35	7	57	18	16	71	31
58	41	16	96	1	400	16	8	15	19	12	80	0
59	42	50	99	51	454	12	8	34	19	58	90	30
60	44	26	103	54	524	34	8	53	20	46	104	54
61	46	5	108	14	620	17	9	13	21	39	124	3
62	47	46	112	50	758	8	9	33	22	34	151	38
63	49	30	134	45	974	1	9	54	23	33	194	48
64	51	17	141	0	1360	36	10	15	24	0	172	7
65	53	8	148	39	2253	44	10	37	25	44	450	45
66	55	1	134	45	6547	56	11	0	26	57	150935	
67	56	59	141	21	Infinita.		11	24	28	16	Infinita.	
68	59	0	148	30			11	48	29	42		
69	61	6	156	18			12	13	31	15		
70	63	17	164	50			12	39	32	58		
71	65	32	174	15			13	6	34	51		
72	67	52	184	39			13	34	36	56		

Regionum.

Rationes vmbræ & Gnomonis ad quamlibet Solis altitudinem, siue ab ab Horizonte sublimitatem.

Altit. ⊙ Par	Qualium Gnomon 60 — Vmbræ par. 1.	Talių	Qualium Gnomon 12 — Vmbræ par. 1.	altit. ⊙	Qualium Gnomon 60 — Vmbræ par. 1.	Talių	Qualium Gnomon 12 — Vmbræ par. 1.	altit. ⊙	Qualium Gnomon 60 — Vmbræ par. 1.	Talių	Qualium Gnomon 12 — Vmbræ par. 1.
1	3437.24		687 26	37	79 37		15 55	73	18 20		3 40
2	1418.10		683 39	38	76 48		15 21	74	17 12		3 26
3	1144.52		228 58	39	74 5		14 49	75	16 4		3 15
4	858. 2		171 36	40	71 30		13 58	76	14 57		2 59
5	685.48		137 10	41	69 1		13 48	77	13 51		2 46
6	570.51		115 10	42	66 38		13 20	78	12 45		2 33
7	488.39		97 45	43	64 20		12 52	79	11 39		2 20
8	426.55		85 23	44	62 8		12 26	80	10 34		2 7
9	376.49		75 46	45	60 0		12 0	81	9 30		1 54
10	340.16		68 3	46	57 56		11 35	82	8 26		1 41
11	308.40		61 45	47	55 57		11 11	83	7 22		1 28
12	282.16		56 7	48	54 1		10 48	84	6 18		1 16
13	259.53		51 59	49	52 9		10 26	85	5 15		1 3
14	240.38		48 8	50	50 20		10 4	86	4 11		0 55
15	223.55		45 46	51	48 35		9 43	87	38 8		0 38
16	209.14		41 51	52	46 52		9 22	88	2 5		0 25
17	196.15		39 15	53	45 12		9 3	89	1 3		0 12
18	184.39.		36 56	54	43 35		8 43	90	0 0		0 0
19	174.15		35 51	55	42 1		8 24				
20	164.50		32 58	56	40 28		8 6				
21	156.18		31 56	57	38 57		7 47				
22	148.30		29 42	58	37 29		7 30				
23	141.21		28 16	59	36 3		7 13				
24	134.45		26 57	60	34 38		6 55				

25	128.39		25	45	61	33	15		6	39
26	123. 0		24	36	62	31	45		6	23
27	117.45		23	33	63	30	34		6	7
28	112.50		22	34	64	29	15		5	51
29	108.14		21	40	95	27	58		5	36
301	03.54		20	47	66	26	43		5	21
31	99. 51		19	58	67	25	48		5	6
32	96. 1		19	12	68	24	14		4	51
33	92. 13		18	29	69	23	2		4	36
34	88 57		17	47	70	21	50		4	22
35	85 41		17	8	71	20	39		4	8
36	82 34		16	28	72	19	29		3	54

De quatuor mundi cardinibus, & præcipuis regionibus ventorum.

CAP. XIII.

MVNDVS *vniuersus in quatuor partes (quas regiones, limites, tractus, cardines, et plagas vocant) in Eoam, inquam, Occiduam, Australinam & Aquilonarem diuidi consueuit: Pars Eoa dicitur, vnde sol primo mane supra Horizontem emergit: Occidua verò vbi iterum vesperi sese sub finientem abdit: verùm cùm alias citiùs, aliàs tardiùs, nec eodem semper loco sol vel oriatur, vel occidat, non absre triplicem ortum atque occasum faciemus: non quòd plures tribus non sint (sol enim singulis diebus ortum*

ortum mutat) sed quia tres præ cæteris obseruari solēt, nimirùm Aequinoctialis, Aestiuus (sic enim appellare malo, quàm cum A. Gellio, solstitialem) & Brumalis: quorum is qui æquinoctialis dicitur, vt princeps est, ita orientis punctum definit: in ea namq; regionis parte orientis punctus fixus intelligitur, vndè sol arietis, aut libræ initium occupans primùm emergit. Huic vtrinque adiacent ortus æstiuus & brumalis, ex solis in solstitio, nūc æstiuo, nunc brumali, primo supra finientem conspectu definiendi. Meridiei porrò & Septentrionum dispar ratio est: nam hi cardines simplices et fixi esse intelliguntur, propterea quòd à polis æstimentur, qui constantes sunt & semper ijdem. Sol itaque meridianum loci cuiusque supra Horizontem conscendens, cardinem Austrinum ostendit; sicut punctum Aquilonarem cùm infra finientem delapsus noctis culmē attingit. His quatuor mundi cardinibus principes quatuor venti respōdent; Nam Subsolanus ab oriente, Fauonius ab occasu, Ἀπαρκτίας à septentrionibus; Notus denique à meridie spirāt. Est autem Subsolanus, qui Græcis Ἀπηλιώτης dicitur, Maio peculiaris, sicut Fauonius (quē Græci Ζέφυρον, ἀπὸ τοῦ ζόφου, id est, ab humore seu caligine, aut, si mauis, ἀπὸ τῆς ζωῆς, καὶ φέρειν, quasi ζωήφορον vocarūt) Aprilis: ille ob insignē caloris & siccitatis tēperiem, au-

Lib. 2. cap. 22.

ctore Ptolomæo, sanguineus & salutaris est: hic ob naturam tepidam et humidam aqueus dicitur. Est etiam vernus, & cœlum hybernum molliendo, terram ad arationē, maria ad nauigationem aperit: quò fit, vt corporum humores dissoluat & perturbet. Dicitur quoque à nōnullis, ab hirundinum aduētu, Chelidonius, & à reditu peregrinarū auium Ornythias. Notus (ἀπὸ τῆς νοτιδος, id est, humore, sicut Auster ab hauriēdo, sic appellatus) ante autūnale æquinoctiū, necnō sole Taurū tenente frequens est, spiratq; non à Polo Australi, vt rectè docet Aristoteles, sed à solstitio æstiuo, nec admodū salutaris est: quo fit, vt Austro spirante animantia minùs premi fame credātur: Lib. 2. Meteor. c. 5.

Aparctias (ἀπὸ τῆς ἄρκτου sic dictus) niuosus et frigidus est, item melancholicus & terrestris: atque hinc fit, vt meatus corporum constringat, & calorem naturalem augeat, eaq; re saluberrimus habeatur. Atque hi quidē principes quatuor vēti sunt, quorū singulis bini iterum adhærēt, naturæ & qualitatibus non multum dissentientes: Nam Subsolano ad Septentriones Helleſpontias, alias καικίας nubes ad se attrahēs, & naturæ humidæ, ad Meridiem Eurus seu Vulturnus nubes adducens, adiacent. Fauonius seu Zephyrus ad Meridiem Africo (qui etiā λίψ dicitur) vento nonnihil humido, ad Septentriones Coro (qui aliàs caurus, aliàs

rus, aliàs ἀργέστης, interdum ὀλιμπίας, & ab Atheniẽsibus σκίρων appellatur) vento ſicco clauditur. Notus porrò, ſeu Auſter ad ortum Eurono-to (qui etiam φοινικίας dicitur) ad occaſum Libonoto, vẽto nonnihil noxio ſtipatus eſt. Ἀπαρκτίας denique ad ortum Boreâ, ſeu Aquilone, qui etiam μέσης dictus eſt, ad occaſum θρασκία, ſeu circio Gallico (cui nomen auctore A. Gell. Iapyx eſt) terminatur. Atque hi ſunt 12 venti, quorum apud veteres ſcriptores mentio frequens eſt. Horum hoc ſit ſchema: Lib. 2. cap. 22.

Cæterum Nautæ, qui curioſiùs ventos obſeruant, 32 faciunt; verùm de his commodius infrà, vbi de Hydrographia agemus, diſputabitur. Nunc

paucis expediamus, qua ratione quiuis principes 4 mundi cardines, & 12 ventos, suo Marte internoscere queat.

De internoscendis 4 mundi cardinibus, & præcipuis 12 ventis, lineæ item meridianæ inuestigatione.

CAP. XIIII.

NECESSARIA *imprimis in hac tractatione est lineæ meridianæ inuestigãdæ ratio, vtpote qua inuẽta, omnes mundi cardines paruo negotio cognoscuntur. Si quis igitur indicis magnetici, reliquorumq́. instrumẽtorum (quæ plurima sunt) ad hunc vsum destinatorum præsidio destitutus, lineam meridianam inuestigare animum inducat, fixo vspiam Gnomone, seu Stylo ad angulos rectos, sole splendente, vmbram è Gnomone hora 12 eiectam obscruet: per hanc enim ducta linea recta meridiana erit: cuius extremitas vna, puta, quæ Gnomoni proxima est, Meridiei, Altera septentrionum punctum ostendet. Hanc iterum si alia linea, ad angulos rectos transcurrens, diuidat, quatuor mundi cardines, è quibus principes 4. venti spirant, Eoum, inquam, Occiduum, Austrinum & Aquilonarẽ ob oculos ponet. Possumus præterea hora diei neglecta, lineam meridianam alia ratione inuenire, si videli-*



videlicet, erecto, è cẽtro circuli in plana ſuperficie deſcripti, ſtylo, punctum contactus circuli & vmbræ primum creſcentis, mox decreſcẽtis notauerimus, ac deinde è centro lineã inter duos punctos mediam ad ambitum circuli duxerimus; erit enim quæ ſic deſcribitur, linea meridiana.

Idem quoque efficies, ſi breuiſſimam ſolis vmbrã quouis die in loco plano obſerues: Noctu quoque ex polo, ſeu ſtella polari, atque alijs ſtellis fixis, oriente quoque & occidente luna, ac multis præterea modis linea meridiana inueſtigari ſolet. Sed de hac ſatis: Cognita porrò linea meridiana & quatuor præcipuis mundi punctis, Itẽ & ventis qui ex his ſpirant, reliqui facilè cognoſcentur: cùm enim inter principes duos ventos, bini ſemper interiecti ſint, æquali inter ſe, & ab extremis interuallo diſtincti, præcipuorum ventorum ſingula ſpatia in tres æquas partes, vt numero ventorum duodenario reſpondeant, diuidenda ſunt. Nunc de ſiniſtris ac dextris mundi regionibus (eſt enim hæc diſputatio cum ea, quæ anteceſſit, coniuncta) tribus verbis diſſeramus: principiò itaque tenendum eſt, aliter Coſmographos,

aliter Astronomos, aliter denique Poëtas, dextras & sinistras mundi regiones describere. Cosmographi enim (quos sequitur Arist.) motus initium & verticis aquilonaris altitudinem considerantes, dextrum in oriente, & sinistrum in occidente constituunt: Astronomi ad meridiem, vbi astrorum vis maximè elucet, conuersi dextram in occasu, in ortu sinistram mundi partem faciunt. Poëtæ ab vtrisque dissentientes totum tractum septentrionalem, propter Poli nobis semper conspicui sublimitatem, dextrum vocant, partem verò Austrinam, Sinistram. Vnde Ouid. lib. 1. Metam. de Zonarum distinctione sic scribit.

Lib. 1. de cœlo cap. 2.

Vtque duæ dextra cœlum, totidemque sinistra
Parte secant zonæ, &c.

Verùm vt faciliùs, tum quæ de Zonis, tum quæ de mundi cardinibus dicta sunt, intelligantur, hoc accipe schema.

De lati-



De latitudine & longitudine terræ.

CAP. XV.

FACIT *terræ figura, vt in assignandis eius dimensionibus, non eadem sit omnium sententia: cùm enim rotunda sit, fieri non potest, vt lõgitudinis & latitudinis distinctiones aliter et cõueniãt, quã ex quadã cõsideratione et cõparatione. Quò fit, vt cosmographi, quibus non tã terræ habitatæ, quã totius vniuersi descriptio proposita est, & hos sequuti philosophi polorum inter*

se distantiâ longitudinem metiantur: nõ quòd hi magis inter se distẽt, quàm ortus & occasus, sed quia poli fixi sunt, & situs distinctiones, sursum, inquam, & deorsum (quibus longitudo definiri solet) præ se ferunt: Iidem orientis & occidentis punctis latitudinem definierunt. Geographi verò qui ad terræ cognitæ & habitatæ cognitionem, omnes suos conatus conuerterunt, meritò contrariam, in longicudine & latitudine dimetiendus, rationem amplexi sunt: cùm enim terræ habitatæ tractũ lõgiùs ab ortu ad occasum, quàm ab Aquilone in Austrum porrigi viderent, non abre distantiâ ab occasu in ortum longitudinem definierunt: ita vt regionis, aut loci alicuius longitudo, nihil aliud sit, quàm spatium Aequatoris duobus Meridianis, vno fortunatarũ insularum (in his enim primus longitudinis gradus, et occidentis initium constitui solet) altero ipsius regionis, aut loci, circumscriptum. Nunc ad latitudinem ventamus: Latitudo est loci seu regionis, ab Aequatore versus alterutrum polorum recessus, id est, spatium & distantia respondens arcui meridiani circuli, qui puncto verticali regionis & Aequatore, siue versus Meridiẽ, siue Aquilonem, continetur. Quò fit, vt latitudo bipartita sit: alia nãq; Austrina est, alia Borealis, quarũ hæc ad polũ Arcticũ, illa ad Antarcticũ, suis vtrag; partibus

bus & scrupulorum incrementis distincta, porrigitur. Illud vero silentio inuoluendum non est, longitudines & latitudines regionum, à nonnullis, & maximè à Ptolomæo, horarum incrementis distingui: Cùm enim locum aliquem vel regionem vnâ, duabus, pluribúsve horis ab occasu abesse dicunt, pro singulis horis 15 gradus numerandi sunt, ac pro singulis scrupulis horarum, 15 scrupula grad. Similiter q; cùm prouincia aliqua ab Aequatore, vna pluribúsve horis distare dicitur, longissimi atei incrementum, quo diem æquinoctialem superat, accipi debet. Sed erit fortasse res exemplo illustrior: Si quis Duacum Catuacorum (oppidum est in finibus Flandriæ munitissimum, non minus academicorum in omni disciplinarum genere professorum, singulari eruditione, quàm senatorum prudentia, integritate, & vtriusque ordinis, quod caput est, quanta summa esse potest pietate, ac in exteros humanitate & beneuolentia, insigne) hac ratione describens, dicat ab occasu hora vnâ et 38 scrupulis seu minutis, ac 40 secund. abesse; ab Aequatore verò horis 4 & $\frac{1}{4}$ perinde est ac si diceret Duacum in longitudine gradus 24 & scrup. 40 complecti, habere q; longissimum diem 16 horarum & $\frac{1}{4}$: ac denique situm esse in 18 parallelo ex nostra descriptione, vel 16, ex distinctione veterum. Ex his enim &

illud perspicuum euadit, in quo Climate ac Parallelo regiones sic descriptæ iaceant: Nam si incrementa horarum, quibus longissimus regionis tuæ dies, æquinoctialem diem superat, geminaueris, prodibit numerus climatum: Atque hic iterum duplicatus parallelorum, qui inter Aequatorem & locum propositum interiacent, numerum ostendet; nisi vltra circulum Arcticum aut Antarcticum situs sit.

De inuestiganda longitudine regionum. CAP. XVI.

CVM tota ferè regionum describendarũ ratio, ex longitudinis & latitudinis cognitione pendeat, meritò hoc loco via explicanda est, qua in his explorandis vtamur. Principiò itaque in confesso est, longitudinis ac latitudinis inuestigandæ multas suppetere rationes, si instrumenta mathematica ad hunc vsum accommodata sint in promptu: verùm quia instrumenta nec semper ad manum haberi possunt, nec satis ab omnibus intelligũtur, nos aliam inibimus rationem, quæ instrumẽtorum adminiculis non magnoperè indigeat. Vt ergo à longitudine (cuius præcipua difficultas est) ordiamur, danda imprimis opera est, vt loci seu regionis alicuius longitudinem explorata habeamus, quæ nobis loco regulæ et amussis in reliquis inuestigandis futura est: deinde discendum

cendum est, aut ex tabulis eclipsium, aut diarijs seu fastis (quos vulgus Almanach & Kalendaria vocat) quo tempore, quaque hora, & horæ scrupulo, ad loci cogniti meridianum eclipses lunares futuræ sint: ac postremò summa diligentia obseruandum est tempus initij eclipsis in regione cuius longitudo inuestiganda est: ostendet enim horarum & scrupulorum diuersitas, longitudinum in horis & minutis inter se differentiam. Si igitur pro singulis horis, 15 gradus; & pro singulis horarum scrupulis, 15 vnius gradus minuta adnumeres, nascetur longitudinum in gradibus & scrupulis graduum differentia: hanc si cognitæ longitudini, quoties minor est in huius eclipsi horarum numerus, addas; aut ab eadem deducas, quoties maior est, relinquetur longitudo loci quæsita. Res exemplo fiet clarior. Anno Domini 1576 Luna obscurabitur Antuerpiæ 7 die Octobris, hora 10. Scrup. 52. Eodem anno Duaci Catuacorum eodem die, eademq; hora obscurabitur, sed scrup. 44 & sec. 49. Cum igitur longitudo Antuerp. sit grad. 26 & scrup. 36, consequēs est Duaci longitudinem esse partium seu graduum 24 et scrup. 40: Nam si pro 7 scrup. & 11 sec. quibus Duaci eclipsis citius accidit quam Antuerpiæ, grad. 1 & scrup. 56 detraxeris longitudini Antuerpianæ, puta grad. 26 & 36 scrup. proueniunt

grad. 24

grad.24 & scrup.40. Hoc ipsum ex luna cum stella aliqua fixa ad Meridianum accessu, beneficio Radij Astronomici (de cuius vsu & fabrica extat Gemmæ Frisii elegans libellus) inuestigare non fuerit difficile; quemadmodum ex globo Geographico arte, atque industria elaborato, modò loci, cuius longitudinem ignoras, situm probè teneas: poterit insuper longitudo commodissimè explorari per Horologia, quæ ἀνάλημα dicuntur, si adfabrè constructa fuerint. qua de re vide Gem. Frisium De vsu globi cap. 19. Nunc de latitudine dicamus.

De inuestiganda latitudine. CAP. XVII.

LATITVDINIS (*quæ cum poli eleuatione semper concurrit, & cum Aequatoris altitudine, circuli quadrantem, id est, grad. 90 explet*) *inuestigandæ rationes multæ sunt, nec admodum intricatæ; sed nos vnam, præ cæteris, tùm quòd facillima sit, tùm quòd certissima, hoc loco explicabimus. Imprimis igitur si meridianam solis altitudinem, alterutro æquinoctiorum puncto obseruatam, à quadrante circuli, id est, à 90 partibus deducas, quod relinquitur poli altitudinem, seu regionis latitudinem ostendet. Idem quoque efficies quouis anni tempore, si à meridiana solis altitudi-*

altitudine, ipsius declinationem, quoties Borealis est, auferas: aut si Australina sit, eandem altitudini meridianæ addas, & quòd indè, nascitur, vt dictum est, à partibus 90 deducas. Nec desimili ratione ex stella aliqua fixa, quæ aliàs oritur, aliàs occidit, idem præstiteris: si videlicet ipsius declinationem, & in meridiano circulo altitudinem, eo, quo dictum est, modo obserues. Præterea ex stella quæ nobis semper conspicua est, latitudinem inuestigare procliue est, si nimirum, maximam ipsius in meridie altitudinem, cum minima componamus: Numeri enim ex vtraque altitudine nascentis pars dimidiata, quæsitam latitudinem explicabit. Cæterùm quia in prima latitudinis inuestigandæ ratione declinatio solis meritò cognoscenda est, operæpretium fuerit iubema aliquod subijcere, ex quo solis ascensum & descensum, si fortasse instrumentorum copia non detur, in suum quisque vsum petere posit.

Obliqua-

Obliquatio signiferi congruens cum nostri seculi obseruationibus.

Partes Zo	♈ ♓ G. I. 2.	♉ ♍ G. I. 2.	♊ ♐ G. I. 2.	Partes Zo
0	0 0 0	11 29 5	20 10 25	30
1	0 23 53	11 50 6	20 22 57	29
2	0 47 46	12 10 56	20 35 7	28
3	1 11 39	12 31 34	20 46 55	27
4	1 35 30	12 51 59	20 58 20	26
5	1 59 20	13 12 12	21 9 21	25
6	2 23 8	13 32 12	21 19 59	24
7	2 46 54	13 51 58	21 30 13	23
8	3 10 3	14 11 30	21 40 3	22
9	3 34 18	14 30 48	21 49 29	21
10	3 57 54	14 49 51	21 58 29	20
11	4 21 28	15 8 40	22 7 6	19
12	4 44 57	15 27 13	22 15 17	18
13	5 8 12	15 45 30	22 23 3	17
14	5 31 42	16 3 32	22 30 24	16
15	5 54 54	16 21 17	22 37 19	15
16	6 18 6	16 38 44	22 43 48	14
17	6 41 9	16 55 55	22 49 50	13
18	7 4 6	17 12 48	22 55 27	12
19	7 26 57	17 29 23	23 0 38	11
20	7 49 40	17 45 40	23 5 22	10
21	8 12 16	18 1 39	23 9 39	19

22	8	34	45		18	17	18		23	13	29	8
23	7	57	5		18	32	37		23	16	53	7
24	9	19	16		18	47	36		23	19	50	6
25	9	41	19		19	2	18		23	22	19	5
26	10	3	12		19	16	37		23	24	22	4
27	10	24	56		19	30	36		23	25	57	3
28	10	46	30		19	44	14		23	27	5	2
29	11	7	53		19	57	30		23	27	46	1
30	11	29	5		20	10	25		23	28	0	0
diaci	G.	1.	2.		G.	1.	2.		G.	1.	2.	diaci
	♐	♍			♒	♌			♎	♍		

De vsu tabulæ superioris.

QVOD *ad tabulæ vsum attinet, cognito solis loco in Zodiaco, facilis est: Nam si signum quod sol occupat in capite tabulæ conspiciatur, graduum seu partium Zodiaci numeratio à capite quoque inchoanda est: At si in infima parte tab. signi character inscriptus sit, contrarius seruabitur ordo; sed vtrobique è regione gradus, seu loci solis quæsiti, eiusdem declinatio in gradibus scrup. et secundis conspicienda in ipso cõcursu sese efferet: vt si* 12 *Iulij (verbi caussa) sole occupante* 29 *gradum* ♎, *ipsius declinatio quæratur, videbis in tabula huic gradui respondere gradus* 20 *scrup.* 22 *&* *sec.* 57: *similitérque in alijs.*

De vsu

De vsu, quem longitudinis & latitudinis cognitio in Geographia præstat.

CAP. XVIII.

HABET *quidem varios longitudinis & latitudinis cognitio in Geographia vsus, sed vnum præ cæteris insignem, qui in dimetiendis locorum inter se interuallis totus vertitur: licet enim regionum distantias multis modis metiamur, nullus tamen certior est, aut facilior, quam is, qui ex longitudinis et latitudinis obseruatione proficiscatur, maximè si mediocris arithmetices intelligentia accedat; & ea sit lõgitudinis ac latitudinis locorum differentia, quæ commodè notari possit. Primùm itaque notandum est regiones, vel sola longitudine, vel sola latitudine, vel vtraque differre: vndè trec regulæ profectæ sunt. Prima, si regiones sola latitudine differant, minor latitudo à maiore deducenda est, & quod reliquum est, in miliaria conuertẽdum, pro singulis videlicet gradibus 60 miliaria italica, vel 15 germanica, pro singulis verò scrupulis singula miliaria italica numerando. Res clarescet exemplo. Antuerpia & Mechlinia in lõgitudine partiũ 26 & 36 scrup. ferè cõueniunt, at in latitudine scrup. 16 differunt: quare inter se 16 miliarijs italicis, seu 4 germanicis destent, necesse est. Secunda regula de ijs locis tradi solet, quæ differunt sola longitudine: vbi necessariò præmittẽdum videtur, quot miliaria singulis*

gulis cuiusque paralleli gradibus respondeant. Non enim hic, vt in primo canone, singulis longitudinibus gradibus 60 miliaria assignantur, sed quò ad polum propiùs accesseris, eò pauciora tribui debent, vt ex sequenti tabula videre est.

Schema mil. respondentium singulis grad. latit. vltra citraque Æquatorem.

Grad. lat.	Miliaria.	Scrup. milia.	Grad. lati.	Miliaria.	Scrup. milia.	Grad. lati.	Miliaria.	Scrup. mil.	Grad. lati.	Miliaria.	Scrup. mil.	Grad. lat.	Miliaria.	Scrup. milia.
1	14	59	19	14	11	37	11	59	55	8	36	73	4	23
2	14	59	20	14	6	38	11	49	56	8	23	74	4	8
3	14	58	21	14	0	39	11	39	57	8	10	75	3	53
4	14	58	22	13	54	40	11	29	58	7	57	76	3	38
5	14	56	23	13	48	41	11	19	59	7	43	77	3	22
6	14	55	24	13	42	42	11	9	60	7	30	78	3	7
7	14	53	25	13	36	43	10	58	61	7	16	79	2	52
8	14	51	26	13	29	44	10	47	62	7	2	80	2	36
9	14	40	27	13	22	45	10	36	63	6	48	81	2	21
10	14	46	28	13	15	46	10	25	64	6	34	82	2	5
11	14	43	29	13	7	47	10	14	65	6	20	83	1	50
12	14	40	30	12	59	48	10	2	66	6	6	84	1	34
13	14	37	31	12	51	49	9	50	67	5	52	85	1	18
14	14	33	32	12	43	50	9	38	68	5	37	86	1	3
15	14	29	33	12	35	51	9	26	69	5	23	87	0	47
16	14	25	34	12	26	52	9	14	70	5	8	88	0	31
17	14	21	35	12	17	53	9	2	71	4	53	89	0	16
18	14	16	36	12	8	54	8	49	72	4	38	90	0	0

Iam quod ad tabulæ vsum attinet, expeditū est & facilis; nisi gradibus latitudinis scrupula adnexa sint: quoties enim hoc vsu venit principiò discendum est, quot miliaria integris gradibus latitudinis tùm minoris, tùm maioris conueniāt: Deinde adnotanda differentia, vt ex ea, per regulam proportionum, appareat, quot miliaria, et miliariorum scrupula, singulis latitudinis propositæ scrupulis debeāt assignari. Res erit fortassè exemplo illustrior. Antuerpiana latitudo partiū est 51, & circiter 28 scrupulorū: ex priori itaque tabula vim gradui longitudinis, huius paralleli 9 miliaria & 26 scrupul. tribui videmus; quēadmodum singulis gradibus paralleli proximi (cuius latitudo est gradum 52) 9 miliaria, et 14 scrupula: differentia ergo est 12 scrup. quæ quia vni gradui, seu 60 scrupul. propositæ latitudinis, respondent, consequēs est per regulam trium numerorum seu proportionum, 28 scrupulis latitudinis Antuerpianæ 5 scrupula & $\frac{2}{5}$ assignari debere. His præmissis ad canonis explicationem veniamus: quoties offeruntur duo loca sola longitudine differētia, primùm videndum est, quot miliaria & miliarium scrupula, vni gradui longitudinis eius paralleli, in quo vtropositā loca sunt sita, respondeant; deinde differentia in numerum miliariū et scrupulorum ducenda est: numerus enim ex huiusmodi multi-

plicatione

plicatione proueniens distantiam locorum ostenderet. Verùm hoc loco prætermittendum non est miliaria in gradus ducta reddere miliaria, in scrupula verò graduum producere scrupula, vt ex sequente tabella (quæ omnẽ multiplicationis huius varietatem ob oculos ponit) videre licet.

Si duxeris.	Partes.	in	Partes.	Proueniunt.	Partes.
	Part.		Scrup.		Scrup.
	Part.		Secunda.		Secunda.
	Part.		Tertia.		Tertia.
	Scrup.		Scrup.		Secunda.
	Scrup.		Secunda.		Tertia.
	Scrup.		Tertia.		Quarta.
	Secun.		Secun.		Quarta.
	Milia.		Partes.		Milia.
	Milia.		Scrup. grad.		Scrup. mil.
	Scrup. mil.		Partes.		Scrup. mil.
	Scrup. mil.		Scrup. part.		Secun. mil.

His de locis, sola, vel latitudine, vel lõgitudine differentibus vtcunque explicatis, Postulat ordo, vt de ijs dicamus quæ lõgitudine simul & latitudine differunt, pro quibus hæc regula tradi cõsueuit. Quoties propositæ regiones lõgitudine simul & latitudine differũt, vtriusq; primùm differẽtia,

minorem à maiore deducendo, inuestiganda est: Hæc iterum in miliaria transformanda est, gradibus videlicet in 15 ductis, & scrupulis per 4 diuisis: numerus enim qui inde nascitur prius quadratum ostendet, mox dimidiata pars differentiæ latitudinum minori latitudini adcēda est, vt medius habeatur parallelus, quærendum q. ex tabula secundæ regulæ, quot miliaria & scrup. vni gradui productæ iam latitudinis assignentur; hæc deinde per gradus differentiæ longitudinum multiplicentur: numerus enim indè prodiens in se ductus posterius quadratū procreabit. Horum porrò numerorum quadratorum latus, seu radix (vt vocant) quadrata, veram locorum intercapedinem demonstrabit. Hæc res ita exemplo explicari potest. Inuestiganda sit distantia inter Duacum (oppidum & academiam Flandriæ, de quo suprà) & Aberdoniam, quæ est oppidum Scotiæ inter duos fluuios, Donam & Deam situm, in quo ante annos, plus minùs 70, Gulielmus Elphinstonus ibidem episcopus dignissimus, auspicijs serenissimi Scotorum regis Iacobi quarti, Academiam excitauit, in qua nos anno salutis 1566, Philosophicis honoribus ornati sumus: Sic instituetur operatio.

Long

Long, G. M.	Latit. G. M. Aberdoniæ.
Duaci 24. 40.	57. 20
Aberd. 19. 40.	50. 20 Duaci.
Differentiæ 5 0	7 0
Miliaria longit. 44	Miliaria latitud. 105
Horũ quadrat. 1936	Quadra. horũ 11025

Summa vtriusque quadrati 12961, cuius latus, seu radix (vt vocant) 113 & ferè $\frac{21}{25}$ distantiam locorum in germanicis miliaribus significat, quæ si per 4 multiplicentur, prodibunt mil. Italica seu scotica 455 & $\frac{9}{29}$.

Verum quia laboris ac tædij hæc inuestigandæ distantiæ ratio quibusdam plena videri potest, & ab ijs tantùm intelligitur, qui Arithmetices periti sunt, aliam adijciemus expeditiorem. Deprehenso ex longitudine & latitudine propositorum locorum, vero situ, siue in globo terrestri, siue in tabula geographica, spatium duobus locis interiectum circino metire; mox circinum ad Aequatorem accommoda; quot enim gradus Aequatoris circuli circinus complectitur, tot per 15 miliaria germanica, aut 60 italica multiplicãdi sunt,

vt veram locorum distantiam elicias. Idem in peculiaribus regionũ descriptionibus, (quas charτas topographicas vocant) efficies, si loco Aequatoris circuli scala miliarum vtaris: tanta namque locorum inter se distantia erit, quantam in scala miliarum circinus ostendit. Est & alia intercapedinis dimetiendæ ratio geometrica ab Appiano & alijs nõnullis tradita, quam de industria prætereo, quia figuram ad hunc vsum destinatam in promptu semper requirit. Licebit quoque ex tabulis sinuum, regionum distantias metiri: verùm quia sinuum cognitio difficilis est, & tamen pulcherrima, operæpretium facturus mihi videor, si de his vniuersè quædam subijciam.

Cap. 12. primæ parr. Cosmog.

De sinuum ratione & dimetienda, ex tabulis sinuum, locorum distantia.

CAP. XIX.

CVM vniuersa non solùm Astronomica, verumetiam geographicæ considerationis rationatio, à rectarum (quas chordas vocãt) in circulo subtensarum analogia pendeat, nõ fuerit ab instituto nostro alienum, de his paucis disserere. Principiò igitur præsumendum est eandem esse arcuum singulorũ ad proprias suas chordas, & dimidiatorum arcuum ad dimidiatas chordas rationem, per 15 propositionem, 10 Eucli. Quò fit, vt per-

vt perindè totis chordis, & dimidiatis, id est rectis in circuli quadrante subtensis (quas sinus rectos appellant) vti possimus: habet tamen dimidiatarum chordarum vsus non modò demonstrationes euidentiores, verumetiam faciliorem in subducendo calculo operationẽ. Est igitur chorda (vt à definitione exordiamur) recta linea quamlibet circuli partem complectens comprehendénsque.



Arcus verò est circuli pars, quæ chordâ continetur: vt circuli A, B, c, d, pars g, A, f, arcus est, chorda g, F. Chordæ porrò dimidium, dimidiati arcus, quem tota chorda subtendit, sinus rectus dicitur, vt linea M, F (verbi caussa) sinus rectus est arcus A, F, quadrãte minoris, vel c, B, F, quadrante maioris: vt enim quælibet chorda duos subtendit arcus, ita quiuis sinus rectus duobus arcubus respõdet, quorũ vnus quadrante cir-

culi minor est, alter verò maior. Est et ali° sinus, quẽ sinũ versum vocant, definiunt q̃ partẽ esse lineæ dimetientis, initio arcus dati et sinu recto eiusdem arcus ita comprehensam, vt cum eo angulum rectum constituat; vt pars A, M, dimetientis lineæ, A, C, comparatione arcus A, F, sinus versus dicitur. Sinus denique totus, seu vniuersus, est semidiameter circuli, siue is, vt rectus, siue vt versus consideretur; vt pars, E, A, & E, B, in dicto iam circulo A, b, c, d. Quare si sinum, siue versum, siue rectum à semidiametro deducas, quod relinquitur, complementum sinus appellatur. Si item arcum datum ex quadrante circuli auferas, quod relinquitur, arcus complementum erit. Verùm de his alibi fortasis plura: nunc ad dimetienda ex sinuum ratione locorum interualla, vnde digressi sumus, oratio recurrat. Datis duorum locorum (quorum intercapedo inuestiganda est) longitudinibus & latitudinibus, duc sinum rectum differentiæ longitudinum, in sinum complementi minoris latitudinis: numerum deinde qui hinc nascitur per sinum totum diuide, ac numeri ex diuisione nati arcum ex tabul. doctrina inuentum, in vsum operationis sub nomine prioris numeri, seu quadrati sepone. Sinum deinde latitudinis minoris in sinum totum ducito, productum q̃ inde numerum, per sinum comple-

complemẽti prioris numeri diuide: Numeri enim ex hac diuisione prouenientis arcus à latitudine maiore sublatus, numerũ secundo loco reponẽdum ostendet. Quare si sinum complementi huius numeri in sinum complemẽti prioris numeri duxeris, numerumq; inde prouenientem per sinum totum diuiseris, & numeri ex diuisione nascẽtis arcũ à quadrãte circuli sustuleris, remanebunt gradus maximi circuli in miliaria, siue italica, siue germanica, eo, quo dictum est modo, conuertẽdi: exemplis breuitatis caussa abstineo. Sunt & aliæ non paucæ rationes, quibus locorũ distantias metimur (vt quæ ex latitudine & positionum angulis, vel solis angulis pendent, & id genus nonnullæ aliæ) de quibus hoc loco nihil dicendũ putauimus; tùm quia sine instrumentis ad hunc vsum comparatis intelligi nequeunt, tùm quia non veniunt vsu nisi in locis quæ sub aspectum cadunt: Accedit postremò quod de his Gẽma Frisius mathematicus insignis in suo de locorum descriptione libello, qui Cosmographiæ Petri Appiani appendicis loco accessit, copiosè satis disseruerit. Superest ergo, vt de terra, partibusq; eius arte describendis deinceps agamus.

De terra in superficie sphæræ describenda, seu artificiosa globi geographici compositione.

CAP. XX.

ETSI terræ pictura, tùm in plana, tùm in sphærica superficie à geographis exprimi consueuit, est tamen ea quæ in sphærica superficie describitur, non modò facilior, verumetiam figuræ terræ multò accommodatior, eaq; re à nobis priore loco expũcanda. Fiat itaque globus accuratissimè tornatus: hũc deinde circulo aut semicirculo æneo (si de eius fortassis rotũditate aubites) ex lineæ dimetiẽtis quantitate ad hunc vsum cõparato, explorabis: Si enim applicatus globo circulus, eundem omni ex parte contingat, rei bene atque ex arte administratæ argumẽtum est. Progredere igitur & globo, si ex materia suscipiendis notis & characteribus parum idonea confectus sit, chartam seu papyrum hac arte aptabis: Principiò circuli quadrantem diuide in tres partes æquales, mox in charta defixa in plana superficie, ducatur linea recta iustæ longitudinis, quæ in 30 partes, quarum singulæ tertiam quadrantis maximi circuli partem æquant, describenda est: Sumpto deindè circino vnum eius pedem in extremo papyri margine figas, ac alterũ ad partem lineæ vndecimã porrecto, arcum semicirculo minorem describe: Transmissa deinde vna parte similis arcus per partem lineæ duodecimam ducatur, atque ita deinceps quoad singulas 12 partes percurre-

percurreris. Conuerso posteà circino ad alterũ papiri marginem, pari ratione progrediendum est, donec chartam globo affigenaam in 12 partes distinxeris, atque eo, quo descriptæ sunt, modo incisas, globo applicueris. Si verò (quod sæpe accidit) propter polorum angustias, quippiam redundet, seruata vbique analogia resecandum est.

Huius descriptionis schema adscriptum vides.



Papiro iam globo affixâ, proxima cura esse debet, vt duos polos, Arcticum, inquam, & Antarcticum notes: In horum altero, si vnum pedem circini nõnihil inflexi (est enim opus circino recuruo, quem valgum vocant, propter globi rotunditatem) defigas, ac altero lineam globũ medium persecãtem ducas, circulum Aequinoctialem præ se feret: hic itaque in 360 partes naturali numerorum serie, hoc modo, 10, 20, 30, 40, 50, 60, 70, 80, 90, 100, &c. notandas, eo quo dictum est modo, diuidatur. Si circinum deindè ad partes huiusmodi 66 & ½ accommodes, vno eius pede in polo Arctico constituto, alter Tropicum Cancri delineabit. Simili ratione Tropicus Capricorni, conuerso ad Polum Antarcticum circino, describẽdus erit. Posito mox in Aequatore circino, si vnũ eius pedem in prima Aequatoris parte defigas, & alterum ad gradum nonagesimum porrectum, per vtrumque polum ducas, Colurum solstitiorũ describeris: Nec dissimili via Colurus æquinoctiorum inscribi poterit, fixo videlicet vno circini pede in gradu nonagesimo Aequatoris, & altero per vtrumque polum trãsmisso. Coluri postea (aut certè colurorum alter) perinde atque Aequinoctialis, in partes 360 diuidendi sunt, atque hæ iterum suis numeris, sumpto ab Aequatore initio, hoc modo, 10, 20, 30, 40, 50, 60, 70, 80, 90, insigniendæ:

Nam

Nam singulis quadrantibus circuli debẽtur partes 90. Qua porrò ratione coluri duo descripti sunt, eâdem quotcunque volueris in glob. Meridianos, seu circulos verticales, quinis aut denis inter se partibus distantes, delineare poteris. Absolutis duobus coluris, & circulis verticalibus, Zodiacus hoc modo inscribendus est: Circinus primùm ad 90 gradus Aequatoris extendatur, tùm pede vno in sexagesimo gradu & $\frac{1}{2}$ coluri solstitiorum posito, alter per primum, item & 180 gradũ Aequinoctialis, & vtriusq; Tropici in coluro solstitiorũ intersectiones traductus lineam Ecliptică, mediũ zodiacũ intersecãtẽ, delineabit: Zodiaci verò extrema (quãquã in globo vulgò notari vix solẽt) cõtracto ad interuallum 8 2 circino depinges, si videlicet ex eodẽ cẽtro linea ducatur 8 partibus (tot enĩ dimidiata Zodiaci latitudo ex recentiorũ obseruatione cõplectitur) ab Ecliptica linea distans: hæc enim alterum latitudinis extremum claudet. Pari ratione reliquam partem circumscribes, connerso nimirũ circino adoppositam coluri solstitiorum partem. Caterum quod ad zodiaci diuisionẽ attinet, singuli ipsius quadrantes (diuiditur enim in quatuor partes æquales à duobus coluris) in tres partes æquales distribuendi sunt: has iterum, quia singulæ singulis signis cœlestibus respõdẽt, hac arte definies. Circino ad quadran-

quadrãtem Zodiaci modificato, vnũ eius pedẽ in singulis ordine 12 partibus defige, ac altero lineas totã signiferi latitudinẽ decussatim permeãtes, numero 12 describe. Sigula postremò interualla, quia sigula signa præ se ferũt, in 30 partes æquales, quæ gradꝰ dicũtur, partiẽda sũt. Has, distinctionis caussã, denas vel etiã quinas, lineis lõgiusculis notare cõsueuimus. Nũc circuli polares (quos recẽtiores Arctici et Antarctici vocãt) restãt hoc modo describẽdi; vno circini pede in polo arctico (vt inde ordiamur) fixo et altero ad intercapedinẽ graduũ seu partiũ 23 & ½ porrecto, circulũ describes qui ostẽdet circulũ Arcticũ. Cõuerso deĩde ad polũ Antarcticũ circino, circulus Antarcticus simili ratione describetur. Hactenus de circulis internis (vt vocant) globo geographico cũ cœlesti cõmunibus dictũ sit: Nã Horizõ & Meridianus, circulus itẽ horarũ & positionis, necnõ quadrãs altitudinis extrinsecus adhiberi solẽt: Circuli verò climatũ et parallelorũ interni quidẽ sũt, sed ad globum geographicũ ꝓpriè pertinẽt, nec tamẽ tã in globo describi solẽt, quam seruata cuiusq; latitudine (de qua suprà) in Coluro æquinoctiorũ seu Meridiano fixo, notis quibusdã designari, adscriptâ paßi dierũ maximorũ in singulis quãtitate, ne videlicet circulorũ multitudo plus obscuritatis, quã vtilitatis afferat. Circuli denig; altitudinũ, qui etiã paralleli

sunt,

sunt, facilè delineantur, si videlicet vnum circini pedem in alterutro polorum stabilias, & altero versus Aequatorem emisso, lineas æquali interuallo distãtes, puta, intermissis Denis, aut quinis gradibus, describas. Atque hæc de circulis internis, de quorum in globo inscriptione paullò aliter Ptolemæus, sed minus accuratè lib. 1. Geog. cap. 22. & aliquot sequentibus disseruit. Supersunt circuli qui extrinsecùs adhiberi solent, de quibus breuiter (ne quid ad globi perfectionẽ necessarium desit) nunc agamus: Principiò itaque deligantur duo asserculi, quorum vnus tribus digitis, alter sesqui digito (si globum paraueris maiorem) aut paullo minùs, sphæræ diametrum, tùm longitudine, tùm latitude excedant: circino deindè ad 60 gradus Aequatoris, seu duo Zodiaci signa modificato, circa latioris asseris centrum, circulum maximis in globo circulis æqualem describe: mox in vtroque assere alius, digiti quadrante hunc excedens delineandus est, qui interiorem, tùm Horizontis, tùm Meridiani ambitum ostẽdet. Cognito porrò interiore ambitu, non fuerit difficile reliquos in vtroque assere circulos describere, modò meminerimus in latiore assere, in quo Horizontem depingimus, octo plerumque notari interualla: Quorum primum adnotandis signorum gradibus destinatum, in partes 360, eo quò di-

quo dictum est, modo diuiditur. Secundum, in quo numerus partium inscribendus est, in partes 72: Tertium (quod signorum nomina & characteres continet) quemadmodum etiam quartum, in quo festa immobilia scribuntur, in partes 12. Quintum verò singulorum mẽsium dies, ac si placet literas dominicales, atque adeò solis & lunæ coniũctiones ac oppositiones & reliqua quæ ex ephemeridibus seu fastis petuntur, cõplecti solet. Sextum in partes 72 diuisum, numerum dierum cuiusque mẽsis, quemadmodum septimum nomina 12 mẽsium, ob oculos ponit. Octauum denique in 12, vel (si mauis) 32 partes diuisum, ventorũ nomina, regiones, & qualitates declarat. Quod ad meridianum porrò attinet, in 5 interualla, ductis circa centrum minoris asserculi circulis describendus est: horum duo prima intimis duobus Horizõtis interuallis per omnia respõdent: Tertium in oppositis duobus quadrantibus parallelos, sicut quartum dierum maximorum quãtitatem, quintum climatum distinctionem (quæ omnia ex tab. cap. 11. petenda sunt) continent. In reliquis verò duobus quadrãtibus spatium postremis tribus interuallis æquale, inscribendis zonarum nominibus & qualitatibus relinquitur. Horizonte & Meridiano, ea, qua dictum est, arte paratis, fiat circulus horarum, reliquis globi circulis concinna ali-

na aliqua proportione respondens: Hic deinde in 24 partes æquales (quæ ad horas æquales significãt) diuisus, cum suo iudice, in circulo meridiano ita figatur circa polum Arcticum, si regionem Borealem incolas, aut Antarcticũ, si Australem, vt per ipsius centrum pars axis, quo globus meridiano iungitur, emineat, & gnomonis, seu styli vmbram ejcientis partes sustineat, Fiat posteà quadrans altitudinis (id est quarta circuli pars) ex lamina ænea, vel simili materia, ad globi superficiem exteriorem accommodatus, & in partes 90 distinctus, affigatúrque meridiano in ipso verticis puncto, ita tamen vt transferri huc, illuc q; possit. Fiat insuper semicirculus (quem circulum positionis vocant) in bis 90 prrtes diuisus, applicetur q; duabus Horizontis & Meridiani sectionibus, ita, vt, quoties fert occasio, ab vna globi parte in alteram transferri possit. Duo præterea in Horizonte spatia, vnum propè punctũ Meridiei & principium Capricorni, alterum propter principium Cancri & punctum Septentrionum, incidẽda sunt; atque in his globus Meridiano, vt dictum est, affixus, est collocandus. Fiant denique duo semicirculi, quorum exterior ambitus, Horizontis, interior verò Meridiani, exteriori parti æqualis sit: Hi enim in globi pede ita defixi, vt se ad anguios rectos intersecent, Horizõtem optimè

sustine-

sustinebunt. Non obfuerit etiam perpendiculum ex globi alueo demittere, & in ipso pede indicem figere magneticum, quibus rectum globi situm, lineam meridianam & 4 cardines mundi, vbicunque locorum fueris, facilè explorare poteris. Hactenus de generali descriptione globi. Nunc ad partium terræ inscriptionẽ accedamus. Principiò igitur ducendi sunt termini litterum Oceani, vt extrà, intraq; principes terræ partes (Europam, inquam, Africam, Asiam, Americam & partem Australem non satis adhuc exploratam) alluit: deinde insigniores, tum montes, tum fluuij appingendi sunt; Insulæ quoque & sinus maris, quatenus per spatiorum angustias licebit, ascribi poterunt. Verum quò facilius longitudines & latitudines explores, profuerit semicirculo aut quadrante altitudinis vti: hic enim globo applicatus in Aequatore longitudines, vltra verò citráque Aequatorem latitudines ob oculos ponet; ac in ipso longitudinis & latitudinis concursu situs loci inscribendi indicatur.

De ratione inscribendæ terræ in superficie plana.

CAP. XXI.

MVLTI *multas describẽdæ terræ in plana superficie vias tradiderũt: verũ nobis ea cõmodissima visa est, quæ duab⁹ Hemisphæricis*

picturis constat: Nam cum fieri non possit, vt vna figura plana totam terram habitatam, seruata partiũ eius proportione, et symmetria, ponat ob oculos, satiùs fuerit duas facere, inter se magnitudine & circulorum analogia pares; quarum vna Eoam, altera Occiduã terræ exploratæ partem præ se ferat. Hac enim ratione futurũ est, vt terræ figuram sphæricam apertè ex parallelorum & meridianorum orbiculari delineatione, & ad globi figuram proximè accedente, videamus. Vt ergo rem aggrediamur, fiat primùm circulus A, B, C, D, binis diametris A, C, & B, D, sese in cẽtro E, ad angulos rectos intersecantibus, diuisus in quatuor partes æquales: quarum singulæ iterũ in partes 90 diuidendæ sunt. Linea enim B, d, dimidiatam Aequatoris partem præ se feret; quemadmodum linea A, C, Meridiani, In quo duo puncta A & C, duos polos demonstrant. Ducta itaque regula ex polo A, per quinos, vel denos (ne circulorum multitudo obscuram descriptionẽ reddat) dimidij circuli b, c, d, gradus, singulas regulæ & Aequatoris intersectiones nota: Simili deinde modo ductâ regulâ ex polo B, per denos gradus semicirculi A, b, c, Meridianus A, c, inscriptis vbique intersectionum notis, diuidendus est. Fixo mox vno circini pede in linea A, C, (hæc etenim ob id longiùs proferenda est, quòd parallelorum centra

centra in hac inuestiganda sint) & altero ad singulas ordine Meridiani intersectiones porrecto, parallelos seu circulos altitudinum circa vtrumque polum describes, qui, si rectè fuerint exarati, in circuli A, b, c, d, respondentes partitiones incurrēt. Post hæc circulos verticales, seu meridianos per singulas, aut etiam alternas (vt circulorum multitudinem euitemus) Aequatoris B, d, sectiones, in vtrumque polum ducito: Verùm hîc memineris lineam æquinoctialem longiùs vtrinque extra circuli ambitum ejiciendam esse, propterea quòd in hac meridianorum centra inuestigari debeant: Sunt porrò, qui ad euitandam in centris parallelorum inuestigandis molestiam, parallelos, ductis per meridiē intersectiones rectis lineis, depingunt. His hac arte peractis circulum Arcticum & Antarcticum, duos item polares diuerso à reliquis colore, aut grandiore typo, vt præcæteris conspicui sint, delineabis. Numerus quoque graduum longitudinis & latitudinis vtrinque ascribendus est, vt notanda in vno margine climata, in altero paralleli facilius distinguantur. Profuerit etiam singulis parallelis, quantitates dierum maximorum, & vmbrarum rationes adjicere ex tab. cap. 11. & 12. Item ventorum nomina suis quoque locis adnotare. Hac ergo arte figura paratur vtri voles dimidiatæ terræ parti

ſuſcipiendæ idonea: nec diſſimili ratione pro reliqua alteram paraueris; ac mox in vtraque littorum Oceani, & præcipuarum partium terræ fines, vti dictum eſt, montes item & inſigniora flumina ac omnino ſingulæ prouinciæ exarari debebunt. Sunt præterea aliæ, vt dixi, terræ in ſuperficie plana, deſcribendæ rationes, quarũ duas (vnam ex ſphæræ quieſcentis ſpecie inuentam) Ptolomæus lib. 1. Geog. cap. vlt. explicat, & poſt hũc Munſterus cap. 27. lib. 1. Coſmog. vniuerſalis, multiq; alij. Orontius quoq; elegãter forma cordis humani, & Gerardus mercator gemini cordis ſpecie terræ deſcriptionem exhibuerunt: Verùm nobis ea, quæ explicata eſt, meritò ſuffecerit; tùm quia terræ figuram magis ad vnum exhibet, tùm quia reliquarum pleraſque in ſe continet, ac poſtremò quia totam terram habitatam capit. Huius ergo deſcriptionis hæc ſint ſchemata.


B
A
C
D
E



De chorographia.
CAP. XXII.

LOCVM *aliquem, aut regionem seorsum describpturus, primùm longitudinem & latitudinem versus quatuor mũdi cardines inuestiga-*

uestigare debet; deinde lineam meridianam (verbi causſa) A, b per mediã ſuperficiei planæ, in qua regionem deſcripturus eſt, partem ducere, ac in tot partes ſeu gradus diuidere, quot loci deſcribendi latitudo complectitur: Mox per extremas lineæ meridianæ diſtinctiones, lineæ C D & E F parallelæ, totam regionem comprehendentes, & cum deſcripta iã meridiana linea angulos rectos facientes, ducendæ ſunt. Deſcribatur prætereà ſeorſum linea G, f, vni gradui meridianæ lineæ æqualis, quæ in 60 partes æquales, diuiſa, vnum gradum circuli magni, ſeu, quod idem eſt, 60 ſcrupula (quorum ſingula vni miliario Italico reſpondent) præ ſe feret. Huius porrò lineæ g, f, tot ſcrupula circino dimetire, quot in parallelo regionis deſcribendæ, tùm verſus ſeptentrionem, tùm verſus Meridiem vni gradui Aequatoris ſeu magni circuli in tab. cap. 18. aſſignantur: Lineam deinde C, D, quæ partem Aquilonarem denotat, in 16 partes æquales ſpatio, quod vni gradui Aequatoris in Boreali parte regionis tuæ reſpondent, diuide: ſimiliter q; lineam E F, quæ claudit partẽ Auſtralem, in 16 ſectiones partire, quarum ſingulæ æquales ſint minutis, ſeu ſcrupulis, quæ in parte regionis Meridionali vni gradui circuli magni reſpondent. His peractis per ſingulas ſectiones lineæ meridianæ A, B, lineæ tùm inter ſe, tùm cum

lineis C, D, & E, F, parallelæ describãtur: Præterea ducantur lineæ meridianæ per singulas sectiones linearũ C, D, & E, F; in quibus longitudinis gradus notãdi sunt: harũ eni postremæ duæ regionem describendam, una ad occasum, altera ad ortum, claudẽt finient q̃. Huius rei tale sit schema:



Reliquum itaque est, vt prouinciarum limites vrbes insigniores, atque id genus alia inscribantur, seruata tùm ab Aequatore, tùm ab occidentis puncto, legitimâ distantiâ. Profuerit etiam et ad picturæ elegantiam, & ad rerum diuersarum faciliorem distinctionem, maria (si quæ regionem alluunt) & flumina cæruleo colore depingere, lacus claro, adiectis etiam nauiculis; paludes

ludes cæruleo, sed diluto et intermixto glauco, vrbes verò & oppida rubro; arces ferreo; mōtes argenteo; colles syluasq;, & prata viridi; solū terrarū glauco. Locorū quoque typi triplici magnitudine distīguātur, vt metropoli maximus; vrbibus medius; oppidis minimus respondeat. Arces etiam turribus rotundis; vrbes et oppida acutis, minora paucioribus, maiora pluribus, Emporia vexillis, et sedes episcopales crucibus ornētur. Principū dominia ac ditiones viridi filo cingātur, publica itinera notentur lineâ punctatī (vt ita dicā) rectâ, sinuosâ, &c. Est præterea notis quibusdā indicandum: qua per pontes, vada, colles ac loca prærupta iter fieri debeat: & sicubi periculū imminet, crux adscribēda est. Neque verò inutiliter hospitia publica, maximè in locis desertis et incultioribus, ac si quid præterea sit in regione tua præ cæteris singulare, adscripseris. Cæterùm illud silētio inuoluēdum non est, chorographiā non solū singularū regionū, vt Frāciæ, Germaniæ, Scotiæ, Angliæ, Hispaniæ, &c. descriptionem, sed aliquādo octauā, vel tertiā totius terræ habitatæ partem cōplecti: Nec tātùm rectis (vt iā dictū est) meridianis & parallelis, sed curuis etiā et qdē multò cōmodiùs chorographicæ picturæ hac arte describūtur. Fiat primū circul°, cuius ambit° in tres partes æquales A. B. C. diuidatur: fixo deīde vno circini pede in pūcto

A, ac

A, ac altero ad B, vel C, porrecto, ducatur arcus B, C. Mox ex centris B, & C, describes arcus, A, B & A, C. Duorum meridianorum quadrantes, qui cum ipso B C, arcu octauam superficiei terræ partem circumscribent. Duc deinde lineã rectam ab A, recedentem B C, in puncto D persecantem: Hanc iterum in 60 sectiones æquales partire, ac intermissis denis, aut quinis (vt libet) partibus lineæ A, d, circa centrum A, paralletos in A, C & A, B, incurrentes describe. Lineam insuper B, C, atque vnũ ex parallelis videlicet E, F in 90 partes æquales distribue: denis deinde (vt dictum est) partibus quadrantis A, B, intermissis, per decimam quamq; partem paralleli E, F, duces meridianas lineas. Assriptis tandem longitudinum & latitudinum numeris, exaretur circuli Tropici quadrans G. H, & circuli Arctici I K parallelorum postremò, & climatum distinctiones, cum respondentibus dierum incrementis, ac reliquis, vt dictum est, ex cap. 11. appingenda erunt. Huius rei hoc accipe schema.

poterunt



poterunt etiam aliæ locorum describendorum rationes inuenir, sed hæ nobis sufficiunt: nunc ad Hydrographiam transeamus.

De Hydrographia. CAP. XXIII.

ETsi *quæ adhuc de terræ partibus, earúmque descriptione dicta sunt, ad aquas quoque per-*

que pertinent (est enim in Geographia perpetuò præsumendum terram cum circunfluentibus vnàs vnum efficere globum) traditur tamen alia aquarum describendarum via, quam proprio nomine Hydrographiam appellamus. Hydrographia itaque licet siue littorum sinuúmque delineatione perfecta non sit, præcipuè tamen in describendis accommoditatè & appositè ad nauigandum, ventorum sedibus ac regionibus occupatur. Cum igitur 12 principes venti, eorumq; situs, ordo & nomina (de causis autem effectis & natura ventorum tractare Physici, non Geographi, munus est) ex ijs, quæ diximus, manifesta sint, nunc solùm reliquum est, vt de ventorum pictura, seu Hydrographica delineatione agamus. Primum itaque circulus obscurus circa cẽtrum A, Horizontem præ se ferens describatur: hunc duæ lineæ dimettentes B, D, & C, E, sese ad angulos rectos interfecantes, in 4 partes æquales, quatuor mundi punctis (putà B septentrioni, C occidenti, D meridiei, E orienti) respondentes, diuidant. Singuli iterum quadrantes bifariam diuidendi sunt, ductis videlicet lineis F, G, & I, L, grandiusculis, aut conspicuo aliquo calore tinctis, per centrum A, & quadrantum sectiones æquales: sic enim ductæ lineæ, principes 8 ventos (tot namq; ab Hydrographis depingi solent) ob oculos ponent.

Cap. 13. & 14.

ponent. Vt igitur interiectos ventos, eorumq; regiones inueniamus, singula rursus spatia in duas partes æquales diuidenda sunt, sed lineis obscurioribus notanda: verùm quia Nautæ 32 ventos faciunt; vt horum quoque curiositati satisfaciamus, vnumquódque postremò spatium in duas partes æquales, ductis à centro lineis, diuidemus: His ordine descriptis, non oberit, distinctionis causâ, principalium ventorum, qui ad septentriones spirant, punctos Lilij forma adornare, eos autem, qui spirant ad ortum æquinoctialem cruce: Huius descriptionis tale sit schema.

Atque



Atque hæc quidem vulgaris Hydrographiæ pictura est, quæ multò erit accuratior, si omnes lineæ (ijs exceptis, quæ per centrũ ducũtur, quæq; principes ventos significant) curuo tractu, in hunc qui sequitur modum, delineentur. Emissa primùm ex puncto B, in singulas ventorum semicircul'

circuli C, D, E, distinctiones, regulæ, eiusdem in recta linea C, E, intersectiones notentur. Harum deindè singulæ, sumpto circino ad quamlibet rectam lineam traducãtur. Ad extremum per puncta singulorum ventorum, & respondentes sectiones linearũ sese ad angulos rectos intersecantium, lineæ curuæ describãtur, suis, vt ventorum distinctio postulat, coloribus ornandæ. Reliqua, vt in vulgari pictura, adscribenda sunt. Qua porrò ratione intra descriptum Horizõtem, partes terræ, littora, sinus maris, &c. depingi debeant, ex ijs quæ diximus non obscurè intelliget ur: nisi for Cap. 22.
tè mauis recentiores hydrographos imitari, qui lineam dimetientem B, D, item C, E, in 180 partes (harum enim singulis 17 miliaria gallica seu leucas, vt vocant, assignare solent) dispescunt, deinde paratâ hac proportione miliariorum scalâ, varias terræ partes, seruatis vbique locorum interuallis, inscribunt. Atque hæc quidem de Hydrographia ad institutum nostrum sufficient, si pauca de quadrato nautico, eiusq; vsu & fabrica, coronidis loco adijciamns.

De quadrato nautico, eiusque vsu & fabrica. CAP. XXIIII.

FIAT primũ in plana superficie quadratum A, B, C, D, iustæ quantitatis, duabus lineis

dimetientibus sese ad angulos rectos intersecãtibus, in quatuor æquales partes diuisum: dimidiatæ deinde partes singulorũ laterũ quadrati, in 90 partes æquales distribuẽdæ sunt, numerorũ ordine nõ neglecto. Nã lateris superioris & inferioris partes sinistræ, longitudinẽ minorẽ, seu magis occiduã denotabũt: Dextra verò maiorẽ seu magis eoam. Lateris itẽ dextri & sinistri partes dimidiatæ latitudinem, superior quidẽ Borealẽ, seu maiorẽ, inferior minorem, seu magis Australẽ significabũt. Ducatur porrò ex cẽtro D, circulus intra quadratũ, cuius singuli quadrãtes (in quatuor enim partes à duabus dimetiẽtibus diuiditur) in 8 partes æquales distribuuti, spatia inscribẽdis 32 ventorũ vulgariũ nominibus destinata ostendẽt. Instrumẽti hac arte parati vsus quidẽ varij sunt (nã ventorũ situ atque oppositionem, & id genus alia ostẽdit) sed duo præ cæteris insignes, & ad id quod agitur maximè appositi: Quorum prior est, vt cognita differẽtia latitudinis & longitudinis locorũ duorũ, facilè intelligamus in quã cæli plagã nauem debeamus dirigere, & quo vento vtendum sit: Posterior, vt inter nauigandum cognita mundi plagâ. & latitudinum differentiâ, longitudinum quoque differentiam cognoscamus. De priore sic pauca accipe: Locum vndè soluturus es, in centro instrumenti constitue, Differẽtiam

deinde

deinde longitudinis duorũ locorum in superioris & inferioris lateris parte dextra, si loci, quo nauem dirigis longitudo maior sit, sin minus, in sinistra, notabis: Mox latitudinum differentiam in dextri ac sinistri lateris partibus superioribus, si loci cuius latitudo quæritur maior sit, aliàs in inferioribus, obseruabis: Ductæ namque lineæ per notas differentiarum, tùm longitudinum, tum latitudinum, in ipso intersectionis puncto loci, quo nauigationem instituisti, situm ostendent; à quo ducta iterum per centrum linea, ventum tuæ nauigationi secundùm demonstrabit. Illud verò prætereundum non est, quoties longitudinum & latitudinum differentiæ admodum exiguæ sunt, pro singulis partibus seu gradibus, denos, pro singulis verò scrupulis singulos gradus subduci posse. Quod ad posteriorem vsum, id est, longitudinum differentiam explorandam attinet, facilis est, & priori ferè contrarius: si enim latitudinum in dextro ac sinistro latere, vt dictum est differentiam obserues, ac lineâ seu regulâ indè ad lineam indicantem situm loci, quo tendis, emissâ, intersectionẽ seu cõtractũ notes, eadẽ regula per designatũ iã intersectionis punctũ & æquales superioris ac inferioris lateris partes traducta quæsitã lõgitudinum differentiã ob oculos ponet. Hac itaq; ratione, q nauigationib' crebrioríb' assuescũt

locorum longitudines explorare, & ab alijs notatas examinare poterunt. Illud ad extremum adijciendum est, inter itinera pedestria & marina seu navigationes, plurimum interesse: nam illa per maximos in sphæra circulos fieri semper intelliguntur, hæ verò rarò: Quò fit, vt plerunque curuæ sint nauigationum lineæ, vt ex posteriore ratione describendi picturam Hydrographicam satis intelligitur. Reliquum est, vt quadratì nautici schema adijciamus. Nam cætera huc pertinentia ex Gemma Frisio, vnde ista ferè descripsimus, peti poterunt.

Longitudo


Longitudo minor seu occid.
Longit. maior seu orietal.
Latit. minor seu Austral.
Latit. maior seu Boreal.
Hesperia
Septentrio
Oriens
Meridies
Magistral.
Ortasus. West
Ortasus Oost

Epilogus lib. primi.

QVONIAM *nõ minima geographiæ pars ex longitudinis & latitudinis regionum cognitione dependet, & nos dimetiendæ locorum aſtãtiæ canones ex his petiuimus, operæ pretium facturus mihi videor, ſi inſigniorum aliquot locorum longitudines ac latitudines breuì tabella comprehenſas hîc aſcribam; vt habeant rerum geographicarũ ſtudioſi, in quo ſe exerceãt. Numeri itaq; lineolã antecedẽtes lõgituainẽ ab inſulis fortunatis in partibus, ſeu grad. & ſcrup. demonſtrant: reliqui latitudinem ab Aequatore.*

	longit.	lat.
Aberdouia Scotiæ	20.40.	57.20.
Alexandria Aegypti	60. 30.	31. 0
Ancona Italiæ	35. 40.	43. 42
Antuerpia	26. 36	51. 28
Argentina	30. 4	48. 45
Amſterdama	27. 34	52. 40
Aquiſgranum	28. 52	51. 5
Antiochia	70. 15	73. 20
Ambratia	48. 0	38. 20
Athenæ	52. 45	37. 15
Anguſta vind.	33. 0	48. 15
Babylon	79. 0	35. 0
Bamberga	33. 0	49. 56
Barſalona	10. 0	41. 30

Basilea	29. 50	47. 48
Berlinum	31. 30	52. 50
Bononia	33. 5	43. 54
Brugæ Flan.	25. 6	51. 30
Bruxella	26. 42	51. 24
Bizantium	28. 20	47. 36
Burdegala	18. 30	46. 0
Brundusium	42. 30	39. 40
Brenta	30. 0	51. 24
Buda	44. 30	47. 0
Calecutium	116. 0	16. 0
Caschonia	46. 0	50. 0
Cæsarea	56. 40	41. 40
Cæsaræa Stat.	66. 15	32. 30
Colonia Agr.	29. 0	51. 0
Compostella	6. 0	44. 2
Corduba	8. 0	37. 50
Craconia	45. 30	50. 12
Constantia	30. 30	47. 30
Cleuia	29. 35	51. 58
Carthago Afr.	34. 40	32. 40
Cyrenæ	50. 0	31. 15
Corynthus	51. 15	36. 55
Constantinopolis	55. 30	43. 0
Cayrum Bubalis	63. 0	30. 15
Dantiscum	44. 15	54. 50
Dauentria	28. 44	52. 30

Dirrachium	45. 0	40. 50
Damascus	69. 0	33. 0
Duacum	24. 40	50. 20
Edenburgum Scotiæ.	19. 50	56. 50
Erfordia	34. 0	51. 10
Ephesus	37. 40	37. 40
Edessa	72. 30	37. 30
Ferraria	33. 45	44. 20
Florentia	34. 30	43. 10
Francofortia Re.	30. 30	50. 12
Friburgum brisg.	28. 0	48. 15
Fessa Aphricæ	5. 30	34. 40
Gandauum	26. 8	51. 24
Genua	30. 30	43. 40
Geneuora	28. 16	45. 52
Groninga Frisiæ	29. 24	53. 16
Gryphiswualda	36. 30	54. 18
Haphnia Daniæ	37. 30	57. 20
Hybernia Insula	12. 0	56. 0
Hierosolyma	66. 0	31. 40
Herbipolis	32. 0	49. 54
Hispalis	6. 36	37. 0
Ingolstadium	33. 0	48. 30
Ilium	55. 50	41. 0
Iuliacum	29. 15	51. 5
Louanium	27. 8	50. 56
Londinum Angl.	19. 15	52. 30

Leodium	28. 0	50. 52
Lubecum	34. 0	54. 50
Lugdunum Gal.	24. 0	45. 10
Lutetia Pariſ.	23. 20	48. 0
Lundis Gothiæ	41. 30	57. 25
Lipſia	34. 45	51. 25
Luneburgum	33. 0	54. 4
Machlinia	26. 50	51. 12
Magdeburgum	34. 30	52. 10
Mons Regius	46. 45	54. 17
Maſſilia	25. 15	43. 6
Mons Peſſulanus	24. 56	43. 5
Mediolanum	32. 0	44 40
Meris	27. 15	41. 16
Moguntia	30. 0	50. 18
Mantua	32. 0	44. 28
Melita	38. 45	34. 0
Mecha	71. 45	22. 0
Neapolis	40. 10	41. 0
Nidroſia	39. 45	60. 50
Norimberga	33. 0	49. 24
Niniue	78.	36. 40
Nogardia	66. 0	62. 0
Olioſippo lisbona	5. 10	39. 39
Onolsbachium	32. 0	49. 33
Patauia Germ.	35. 0	48. 30
Praga	37. 30	50. 4

Pons Aeni.	35. 0	46. 55
Portogalla	5. 48	41. 35
Philippis	50. 30	41. 40
Roma	36. 20	41. 50
Riga liuoniæ	53. 45	59. 0
Reualia	54. 15	62. 30
Ratisbona	33. 30	49. 10
Rothomagus	21. 15	49. 0
Rostochium	34. 0	54. 36
Salmantua	8. 32	40. 15
Salsburgum	35. 15	47. 38
Salueldia Tur.	33. 45	50. 46
Stridona	43. 30	44. 30
Stokholma	47. 0	60. 30
Stetinum Pome.	37. 45	54. 0
Segina	39. 0	44. 45
Toletum Hisp.	10. 0	39. 56
Traiectum infer.	27. 34	52. 30
Tubinga	35. 30	48. 33
Treueris	28. 0	49. 55
Taurinum	31. 30	43. 0
Turonia	20. 55	47. 30
Thessalonica	49. 50	40. 20
Tarentum	40. 45	39. 45
Tingis Afr.	6. 30	35. 30
Venetiæ	34. 30	44. 50
Vienna Gal.	24. 15	44. 48

Vienna Auſt.	37.45	48.20
Villacum	36. 15	46. 8
Vlma	32. 0	48. 0
Vratiſlania	39. 15	51. 10
Vuittemberga	35. 0	51. 54
Vallencenæ	26. 29	50. 10
Volaterra Ptol.	33. 45	42. 40
Vranopolis Ptol.	61. 40	37. 20
Vrbs S. Galli Heluet.	27. 6	47. 8
Xoana.	63. 15	43. 20
Xylopolis.	49. 20	41. 0
Zeurina ad danub.	46. 45	45. 5
Zaba	168. 20	4. 45

Τέλος Γεωγραφίας.

IACOBI CHEYNEII, DE GEOGRAPHIA LIB. POSTERIOR.

PROOEMIVM.

His, *de circulis cælestibus, eorumq; numero, motu, ac officijs; terræ item ambitu ac figura; necnon zonarum, climatum atque parallelorũ distinctione, quatuor insuper præcipuis mundi punctis, ventorum numero ac sedibus; longitudine quoq; & latitudine regionum; variaq;, tùm totius terræ, tùm singularum eius partium describẽdarum ratione, & (vt vno verbo dicam) ijs omnibus, quæ ad methodicam geographiæ partem videbantur pertinere, breuiter ac dilucidè explicatis; postulat nunc ordo, vt ad alteram Geographiæ partem, quæ ferè tota historica est, calamum cõuertamus. Vt enim prior illæ disciplinæ nostræ pars, nisi cum posteriore cõiungatur, à communi in vita vsu, atque vtilitate longiùs ad theoriam recedit; ita posterior hæc sine priore nec intelligi commodè potest, nec arte, aut methodo tradi. Verùm enimuerò tantò maiore compendio hæc à nobis erit perstringenda, quantò de hac, & veteres, & recentiores copiosiùs scripserunt: Quanquam, vt ingenuè*

ingenuè dicam, non pauca in hac quoque parte perperam tradita sunt. Dum plerique ferè omnes, immodico quodam πολυγραφίας studio perciti, non tàm visa & comperta, quàm quæ audiuerunt, aut ex veterum lectione hauserunt, posteritati tanquam explorata commendant, & literarum monumentis consecrant. Sed huic malo non antè occurretur, quam suo quasi modulo contentus, in ea, in qua natus est, aut in qua quam diutissimè vixit, regione describenda, operã omnem & industriam conferat.

De Geographicæ disciplinæ proprijs vocabulis.

CAP. I.

QVONIAM *geographiæ, quemadmodum reliquarum disciplinarum & artiũ, propria quædã vocabula sunt, meritò de his antè paucis agẽdum erit, quàm terræ diuisionem & situm agrediamur. principiò itaque notãdum est Insulã à Geographis propriè appellari partem aliquã terræ circumfluis aquis, & reliqua & maiore parte diuisam: licet enim tota terra habitabilis (auctore Strabone) insula sit, qua tamen parte mari, non nisi per sinus aperitur, continẽs appellatur: Sinum autem voco quendam veluti maris excursum, quo terra primùm angustiè, mox latioribus anfractibus dirimitur. Differt porrò peninsu-*

Insula.

Lib. 1. geograp.

Continens.

Sinus.

peninſula (quæ græcis χερρόνησος quaſi χερσόνησος dicitur) tum ab inſula, tum à continente, quòd nec omninò mari circumfuſa ſit, nec niſi exigua ſui parte, (quam græci ἰσθμὸν vocitant) continenti adhæreat. Iſthmo opponitur fretum, ſeu πορθμὸς anguſto ſpatio ſe inter duas continentes inſinuans. Promontorium, terræ ad littus quædam extuberatio eſt, & veluti mons maris, ſic, quia prominet, appellatum. Lacus à ſtagno hoc differt, quòd ille perpetua, hoc certo tempore deficiẽte, aqua foueatur. Lacus ſpecies quædã eſt palus, ſi vulgus geographorum (qui lacum meoticũ paludem vocarunt) ſequamur; quamquam magis propriè ſtangnans aqua dici debet. Ac de his quidem ſatis (quæ enim præter hæc ſunt huius diſciplinæ vocabula, notiora ſunt, quam vt noſtra explicatione egeant) nunc ad Oceani, partiumq; eius decurſum, & varia uomina veniamus.

Peninſula. χερρόνησος.

ἰσθμὸς.

Fretum.

πορθμὸς.

Promontorium.

Lacus.

Stagnum.

Palus.

De Oceani, partiumque eius decurſu & varia appellatione.

CAP. II.

TERRAM *habitatam inſulam eſſe, ac omni ex parte oceano (quem ſic ob curſus velocitatem appellatũ Solinus & Seruius arbitrantur) coërceri, magna geographorum conſenſione receptum eſt: nec iniuria, ſi quidem frequentio-*

quentioribus, tũ peregrinationibus, tum nauigationibus exploratum est, omnĩ terræ oram, quantumcumq; longè procurrat, Oceano tandẽ finiri. Oceanũ itaq;, mare, cuĩ° amplexu vniuersa terra continetur, appellarunt: quod vt lõgè latéq; diffusum est, ita varia ac diuersissima nomina accepit. Principiò etenim ad occasum, Oceanus occidentalis, &, vbi mons Atlas immensa mole erigitur, Atlanticus, sicut ab Hesperia vltiore, mare Hesperium, appellatur. Quâ deinde ad septemtriones procurrit à Cantabria Hispaniæ regione, Primum Cantabricum; mox à Germania Germanicum; & à Vergiuo insula Vergiuum; quemadmodum à Britannia Britannicum; Ac tandem ad Boream, mare glaciale, ob concretas frigore vndas; mortuum item, & lentum, & saturnium à tardo & pacato fluxu vocitari consueuit. Ab ortu verò mare Eoum & Indicum; à meridie australe, Aethiopicum & mare rubrum seu Erythræum dictum est. Alia insuper nomina à lustratoribus nuper accepit, vt à Magellano magellanicum mare: Sed hæc, quæ commemorauimus, Oceani, quâ terram circumfluit, frequentiora nomina sunt: Nam quâ terram aperit, & in varios sinus erumpit alijs nominibus appellatur? primus itaque sinus (quatuor enim præ cæteris notari solẽt) ab extiemis Hesperiæ ac Libyæ

oris, ad

oris, ad Pamphiliam vsque decurrens, vbi incipit, mare Hesperium dicitur, quemadmodum à Gadibus insulis fretum Gaditanũ & à columnis Herculis fretum Herculeum. Indè ad Massiliam vsque Galliæ littora alluens, mare Gallicum (nisi qua parte Baleares insulæ, nunc Maioricam & Minoricam appellatas, praeterfluit, vndè Balearicum appellatũ est) vulgò dicitur. Hinc ad Leucopetram, tùm ad Cyrnum, quæ Corsica est, atque indè ad Sardiniam prorumpẽs, mare Sardinium; sicut à Tyrrhenia Tyrrhenum & à Sicilia (quam recuruo ad solem decursu circũluit) Siculum fretum appellatur. Transiẽs deinde Pachimum promontorium, & ferè ad Cretam vsque prorũpens, reclinato versus Iapygiam cursu, vbi ad Boream expanditur, mare Hadriaticum nũcupatur: Tùm ad Hesperiam citeriorem cõuersus, Mare Ionium prope sinum tarentinum conficit. A Sicilia porrò in Libyam refluens, vbi meridianos Syrtes proluit, & indè ad ortum decurrens, à Pharo, Aegypti olim insula, nunc Alexandriæ ponte cõiuncta, phariũ, & à Sidonia Sidoniũ mare vocatur. Hinc iterùm ad ysicam Regionem descendens, & nomen inde accipiens, ad Ciliciã conuertitur, ac obliquis ad Boream fluctibus per Ciliciæ & Pamphiliæ oras recurrens, primum mare Cilicum, deinde Pamphilium appellatur. Tandem, decursis

videlicet Chelidoniorum insulis, mare Aegæum conficit: in angustum postea alueum receptus, vbi Ilium alluit, à noua forma, angustum mare, & ab Hellesponto, Hellespoticum. sicut ab ostio thracis Bosphori, Bosphoron (sumpta ex fictione pometica, nominis occasione) dicitur. A Bosphori ostio per vniuersam Propontidem delatus angustissimum mare efficit: vbi illud annotatione dignum tradunt, esse videlicet petras quasdam, quæ cùm per medios fluctus errent, non sine sonitu & murmure ac præternauigantium ingenti periculo colliduntur. Abit ad extremum primus hic sinus in duas veluti partes, quarum vnam Pontus, alteram Meotis excipiunt.

De reliquis tribus sinibus, Caspio, Persico, & Arabico, & præcipuis quinq; peninsulis. CAP. III.

PRÆTER *sinum Hesperium seu mediterraneum, quem iam descripsimus, sunt & alij tres à veteribus etiam annotati: horum primus est sinus Caspius, seu Hircanus, ea parte, qua Caspia est, è mari glaciali (vt quidam volũt) effluẽs: quanquam alij mare Caspium, non sinum esse, aut ex Oceano profluere, sed esse vim quandam aquarum ex multorum fluminum concursu natam, arbitrãtur. Hunc sequitur sinus persicus, qui ab*

qui ab Austro ad Persidem vsque illabitur. Huic proximus est sinus Arabicus, qui paullatim contra Euxinum irrumpens, Arabiæ littora alluit. Præter hos quatuor sinus, sunt & alij quidam obscuriores, (vt sinus Gangeticus, sinus Canticolpicus, sinus Barbaricus, sinus Aethiopiæ, quem magnum vocant,) de quibus, quòd non tam sinus sint, quam inflexiones quædam littorum, geographi nihil ferè tradiderunt. Sinum enim ante definiuimus esse quendam veluti maris excursum, quo terra primũ angustis, mox latioribus anfractibus dirimitur. Atque, vt explicatiùs dicam, non dissimiliter sinus ad mare, & Peninsula ad continentem se habent. Peninsulæ porrò (vt hoc cursim expediamus) insigniores quinque sunt, quarum celeberrima est, quæ Achaiæ adhæret, dicitur q. Peloponnesus. Secunda, à vicina continente Thracia dicitur. Tertia, quæ Saxoniæ adhæret, à Cimbris, qui eam tenuerunt, Cimbrica olim, nunc Dania vocatur. Quarta, inter Meotidem paludem, & Pontum Euxinum sita, Taurica dicitur à Tauris Scythiæ Europæ populis. Quinta est, quam auream dixerunt, in India supra Gangen, ortum versus, posita.

De Generali terræ diuisione.

CAP. IIII.

DE TERRÆ *diuisione variæ sunt geographorum sententiæ: Nam alij totum terrarum orbem, interiectis amne Tanai, et longissimo Nili Decursu in duas partes diuiserunt, Europam, inquam, & Asiam; ac nomine Europæ Africam complexi sunt: Alij verò Africam Asiæ adiecerunt: meminit Silius Ital.*

Æstiuo libyæ torquetur subdita Cancro,
Aut ingens Asiæ latus, aut pars tertia terris.

Plurimi ex veteribus, tres principes terræ partes fecerunt, Europam, Africam, & Asiam, quibus ex recentiorum obseruatione accessit America ab Americo vesputio sic appellata. Nobis verò non displicet Gerardi Mercatoris diuisio, qui tres facit continentes, vnam veteribus cognitam, quæ Europam Africam & Asiam complectitur: Alteram Australem nondum satis exploratam: Tertiam Americam. De his igitur, horumq; limitibus ordine dicamus. Europa (huic enim vtpote cultissimos incolarum mores, & felicissima ingenia principem locum deferimus) mari Aegæo, Propontide, Ponto Euxino, Meotide, Tanai fluuio & linea indè recta ad mare glaciale excurrente, ad ortum terminatur: ad occa-

sum ma-

sum mari Atlantico, Vergiuo & Cantabrico: Ad Boream mari Britannico & Germanico; nisi maius eius fines ad mare glaciale porrigere: Africam ab Oriente, Isthmus Iudaicus & sinus Arabicus claudunt, si Ptolomæum sequamur (Alij enim Eoum Africæ limitem, Nilum ponunt) A meridie Oceanus Aethiopicus seu australis, ab occidente mare Atlanticum: à Septentrionibus mare Mediterraneum. Asia ad Occasum limites ijdem sunt, qui Europæ & Africæ ad ortum: A Septentrionibus autem habet mare Scythicum; ab oriente Eoum; à meridie Indicum australe. America (quæ ob immensam sui molem, nouus orbis à quibusdam appellatur) ad Boream non satis explorata est: In se ad Meridiem, ad modum & formam duarum peninsularum, quæ tenui isthmo Panama airimuntur, descendit: ibiq; freto Magellanico terminatur: ab occasu habet partim mare Eoum indicum, partim mare pacificum; ab ortu mare Atlanticum. Verùm nunc ae singulis, repetito initio, accuratiùs, vniuersè tamen, dicamus.

Europæ summa diuisio.

CAP. V.

EVROPA (*quam non pauci ab Agenoris Phœnicum regis filia, sic appellatam, licet*

reclamante Herodoto, putarunt) principem sibi locum in describēdo terræ partium situ, merito occupat: Quamuis enim Africæ atque Asiæ amplitudine cedat, numero tamē & frequētia incolarum, gloriá item & rebus gestis facilè vtramq; superat. Testes sunt Alexādri Magni cōtra Asianos victoriæ, Testes quoque Romanorū de Afris reportati triumphi. Hanc principiò in duas partes, Occiduam inquam & Eoam, fluuius Rhenus & Alpium inga diuidunt: illa Hispaniam & Galliam complectitur; quibus adijcere licet Scotiā, Angliam, Hyberniam reliquasq; insulas Britannicas (sic enim Plinius, omnes insulas Aquilonares vocat) versus Boream sitas. Hac verò iterùm interfluo Danubij cursu, bifariam distinguitur, dum parte vnâ ad Septentriones, alterâ ad Austrum procumbit: Illa totam ferè Germaniam magnam, reliquasq; prouincias Europæ vltra Rhenum versus Boream sitas, complectit. Hac verò Italiam, Illyriam, Bulgariam cæterasq; regiones, quæ inter Danubium & mare Mediterraneum iacent. Hispania porrò (vt eò vnde cæpimus, reuertamur, & præcipuas Europæ prouincias recenseamus) ab occasu prima, à Græcis Iberia est appellata, continetq; Beticam (hodiè regnum Granatæ) Lusitaniam (nunc portugalliam) & Terraconensem: Terraconensis

Lib. 4. cap. 6

iterum

iterum in Galliciam, Nanarram, Castiliam, Cathuloniam, & Arragoniam diuidit. Hispaniæ proxima est Gallia, comata vno nomine appellata, quam ab Hispania montes Pyrenæi diuidunt: Ab ortu clauditur Rheno, A reliquis partibus Oceano ferè allaitur: partes (authore Ptol.) quatuor complectitur, Aquitaniam, Lugdunensem, Belgicam & Narbonẽsem. Alij galliã totam in Cisalpinam & Trãsalpinam (ob situm Alpium, Romanis ita vocantibus) descripserunt. Cisalpina (olim dicta Togata) est quæ hoaie Lombardia dicitur, pertinetq; ab Alpibus ad Rubiconem vsq; fluuiũ, qui prope Rauennã in mare Hadriaticũ illabitur, comprehenditq; venetos & Mediolanẽses, & quicquid ad padum amnem est. Gallia Transalpina, Braccata alio nomine, & (vt ãximus) comata, est quã Iulius Cæsar in Aquitanicam, Belgicam & Celticã diuisit: Nam vt Strab. lib. 4. author est, Celtica ab Augusto in Lugdunensem & Narbonensem diuisa est, adiectis ad Aquitaniam populis, qui inter Garũnam & Ligerim amnes, antea Celtarũ erãt. Hoc Ptol. Plin. Mela & cæteri his posteriores imitati sunt. Galliã (vt diximus) Rhenus ad ortum clauait: Hunc accolunt populi inferioris & superioris Germaniæ. Indè Germania magna ad Sauromatas vsq; porrecta, versus Aquilonem Germanico Oceano,

uersus Austrum Alpibus coërcetur: Huius præcipuæ prouinciæ sunt, Sueuia, Franconia, Turingia, Voitlandia, Vindelecia, Morauia, Pannonia, Bohemia (quam Hyrcinia sylua cingit) Misnia, Saxonia, ac ad Rhenũ VVestphalia, Hassia, Phrisia, Hollandia, vltra verò Saxoniam, Holsatia, Silesia, Marchia, & Pomeriana, quæ ad Sauromatas vsque pertinet. Germaniam ad ortum excipit Sarmatia Europæa, quam Prussi, Liuonij, Russi, Massoui, Lituani, Poloni, Vualachi incolunt. Hanc sequitur Dacia, cui proxima est Thracia seu Græcia; cuius partes precipuæ sunt Epirus, Achaia, Macedonia, Moræa, &c. Græciæ ad occasum adiacẽt Dalmatæ, Illirij, Histrij, cæterij, hadriaticum sinũ cingẽtes. Quicquid vltra est, vno nomine Italia appellatur, & varias suo cõplexu prouincias continet, putà Longobardiam, vmbriam, Tusciam, Apuliam, Latium, Calabriam, Campaniã, &c. quarum (sicut totius Europæ) si quis accuratam descriptionem requirat, legat ex vetustioribus, Strab. lib. 3. & 7 sequentibus: Ptol. lib. 2 & 3. vbi totam Europæ descriptionem 10 tab. complexus est: Ex recentioribus Munsterum cosmog. suæ lib. 2. 3. & 4. Dominicum Nigrum, qui 11 commentarios de Europa cõscripsit. Aeneam syluium (qui postea Pius secundus actus est) Volateranum lib. 1. 2. 3. & reliquis sequenti-

quentibus vsque ad librum decimum; Laurent. Coruinum, cæteroſq; qui in hoc Argumento inſignem operam nauarunt. Quod ad Europæ picturam attinet omniũ accuratiſſima mihi viſa eſt, quam non ita pridem edidit Gerardus Mercator.

Summa Aſiæ deſcriptio.

CAP. VI.

ASIA (*ab Oceani & Thetidis filia, huius nominis, ſic appellata*) *à veteribus, quos recentiorum non pauci ſequuntur, variè diuiſa eſt: verum hi ad noſtra tempora omnium commodiſſimè Aſiam deſcripſiſſe videntur, qui quinque ſummorum in ea imperiorum limites & terminos ſequuti, in quinque partes eam diſtribuerũt, Nimirùm in Moſcouiam, Tartariam, Perſidem, & eam quam Ottomannorum proſapia Occupat, quæque nũc, nomine partis, Turcia dici conſueuit, atque Indiam. Moſcouia quæ Europæ cohæret, & magno Duci Moſcouiæ paret, mari glaciali, Obÿ fluuio, Kytaia lacu, & linea indè ad Caſpiũ mare ducta, Iſthmoq;, qui inter hoc mare & Pontum Euxinum eſt, circumſcribitur. Tartaria, quæ magno Chamo Tartarorum Imperatori ſubiecta eſt, ab Occaſu Moſcouia, ab Ortu & Borea, Oceano, à Meridie mari Caſpio, Imaomõte & Iaxarte fluuio terminatur. Tertia pars,*

(quam diximus, nomine partis, Turciam vulgò appellari) Omnem illum terræ tractum continet, qui est intra pontum Euxinum, Mare Aegaum Mediterraneumq́, Aegyptum, sinum Arabicum Persicumq́, Tygrim fluuium, mare Caspium & Isthmum, qui inter hoc & Pōtum Euxinum interijcitur. Persidis regnū ab Occasu Ottomannos seu Turcas habet, quibuscum perpetuum ferè bellum gerit: A Septentrionibus Tartariam, à Meridie mare Indicum seu Rubrum, si veterem appellationem sequamur: In Orientem ad Indum ferè fluuium pertinet. Quicquid præterea terrarū in Asia est, India nunc (vt olim) vocatur: verū India iterùm à Geographis in inferiorem & superiorē diuidi solet, ac inferior rursus in Indiā intra Gangem & extra Gangem. Superioris præcipua Regna sunt Cathai, Mulpha, Cyamba, Chaira, Thebet, Bocat, Regnū Marsuli, Moabor, Moabat, & Regnum Var, nunc Sinarū seu Chinarum appellatum. India extra Gangen habet Iamai regnum, & prope hoc Malacha; At India intra Gāgen Narsingam regnum opulētissimum, & prope caput curiæ Calucut regnū & ciuitatem, vbi Canamor & Trinapacam, Pandarani, Bisnagar & Bartacala (vt vernaculis nominibus vtar) cernūtur. Ac de Asia vniuersè quidem hæc sufficerint: Nam peculiaris eius descriptio ex alijs (vt ex

Strab.

Strab. lib. vndecimo vsque ad decimum & septimum; ex Ptol. lib. 5. 6. & septimo, vbi Asiæ 40 prouincias tribuit, quas tab. 12 complexus est; ex Dominico Nigro, qui 11 de Asia commentarios conscripsit, ex Volater. lib. Geog. 10. 11. & priore parte lib. 12. Ex Munstero lib. 5.) peti poterit. Asiæ picturam insignem in maiore forma Abrahamus Hortellius ante aliquot annos in lucem emisit.

Summa Africæ descriptio.

CAP. VII.

AFRICAM (*sic ab Afro Herculis Libys filio appellatam*) *mõs Atlas in duas inæquales partes diuidit, quarum maior ad Oceanum vsq; Indicum, minor verò ad mare Mediterraneum pertinet: Hæc, oppressâ Romanorum viribus Carthagine, in quinque prouincias diuisa fuit, putà Mauritaniã (quã Caligulæ sæuitia in Tingitanã & Cæsareẽsem partita est, Numidiã, Africã Minorẽ Cyrenaicã & Aegyptum; nisi mauis, separatâ ab Aegypto Marmaricâ, sex cũ Ptol. facere. Nostro æuo omnes hæ prouinciæ (exceptâ Aegypto) nouis nominib°, videlicet Barbariæ, regni Thunetani, regni marrochorum, regni Fessæ, Argieræ &c. appellãtur. Alterã Africæ partẽ, quã diximus esse maiorẽ & in Austrũ porrigi, Nigritæ ferè & Aethiopes inferiores, hi ad ortũ, illi ad occasum*

occasum occupant. Sunt porrò qui vniuersam Africam (exceptis Aegypto & Aethiopia) in quatuor partes diuidunt; nempè in Barbariam, Numidiam, Libyam, & Nigritarum terram: Barbariam mari Atlantico & Mediterraneo, Atlante monte, & Barcha regione Aegyptò vicinâ concludunt. Numidia (quæ illis Biledulgerid & Arabibus regio Dactylifera, à Dactilis quos effert, dicitur) ab Occasu habet mare Atlanticum, a meridie Libyæ deserta, ab Aquilone montem Atlantem: Ad ortum verò excurrit vsque ad Eloacat vrbem ab Aegypto cētum milibus distantem. Numidiā sequitur Libya ad ortum Nilo terminata; ad occasum mari Atlantico: ad meridiē verò Nigritis: At ad aquilonem Numidiæ se iungit. Huic proxima est Nigritarū Regio reliquam Africæ partem (exceptis Aegypto & Aethiopia) complectens. De Africa scripserunt, ex veteribus Strab lib. vlt. Ptol. lib 4. vbi Africā quatuor tab. explicat: Ex recentioribus, Dominicus Niger de Africa 4 commentarios reliquit: Munsterus lib. vlt. Volateranus lib. 12 parte posteriore. Exstat quoque Hannonis Africæ circumnauigatio apud Arrianum & Iamboli apud Diodorum Siculum. Sed omnium accuratissimè de Africa scripsit Io. Leo Africanus.

De Ame-

De America.
CAP. VIII

AMERICAM (*quæ ob sui amplitudinem pleriſque nonus orbis appellatur*) *veteribus geographis fuiſſe incognitam* (*Licet nonnulli reclamẽt*) *vero ſimile eſt. Maximè cùm Plin. Strab Ptolemæus, cæteriq; vetuſtiores geographi nullum de hac verbum fecerint. Capit itaque explorari anno Domini 1490, aut circiter, nec tamen adhuc ſatis conſtat inſulane ſit, an continens; quanquam crebrioribus geographorum ſuffragijs receptum eſt Inſulam eſſe. Diuiditur autem in duas peninſulas, quarum ea quæ ad Auſtrum porrigitur, cõtinet Peru & Breſiliam, regiones admodum cultas; Item patagonum aliaſq; quamplurimas: Altera verò peninſula quæ ſeptẽtrionalis eſt, & noua Hiſpania dicitur, continet Mexicanam prouinciam, terram floridam, Baccalearum regionem, Nouam franciam aliaſq; non paucas, de quibus recentiorum aliqui multa ſcripſerunt, quorum Catalogum in ſuo theatro Hortellius recenſuit.*

De parte Auſtrali nondum explorata.
CAP. IX.

DICTVM *eſt ex Gerardi Mercatoris ſententia, totum terrarum orbẽ in tres continente*

tinentes diuidi; quarum prima Europam, Africam & Asiam contineret, secunda Americam, tertia terram Australem incognitam Huius nihil ferè adhuc exploratum est, præter littora qua parte freto magellanico admodum angusto, alluũtur: A quibusdam tamen (qui coniecturas magis quam certam experientiam sequuti sunt) quinq; huius regiones numerantur, nẽpe Regio Patalis, terra Deifuego, Regio Psitacorum, Zenzibar & Locah.

Epilogus ad Lectorem.

MIRABERIS fortasse (lector beneuole) cur in posteriore Geographiæ parte à peculiaribus singularum terræ partium descriptionibus (quæ cum vtilitatis plurimum habeant, tum generales descriptiones voluptate lõgè superant) abstinuerim: ac de moribus incolarum (in quibus alij nõ minimam suorum de Geographia commentariorum partẽ consumpserunt) vix verbum vllum fecerim: fateor equidem peculiarium descriptionum lectionem vtilissimam esse & ob insignem rerum varietatem iucundissimam, ab eo tamẽ quod nobis propositum est, mihi, vt cætera silentio inuoluam, alienæ visæ sunt: tum quia longiorè commentatione egebant, quam instituti ratio ferebat; tum quia consilij mei scopus hic fuit, vt Geographiam ea via ac methodo

methodo traderem, qua in scholis deinceps auditoribus nostris (qui his intellectis suo marte peculiares descriptiones percurrent) proponēda est. Quod verò ad gentium mores attinet, dum aliorum euoluo scripta, horresco: tanta passim mentiendi libidò est: Dum enim, non quod quisq; viderit exploratum q. habuerit, sed quod apud vetustiores scriptores fabulariū portentis addictissimos legerit, ad mores nostri temporis refert, non sibi mentiendi occasionem posteris relinquit, verumetiam totam aliquandò nationem, alioqui optimam & humanissimam, aternis ignominiæ notis afficit. Quis enim ferat, non dico veteres, sed recētiores etiam scriptores, & quidem Christianos, qui non tantùm superbiæ, fastus & crudelitatis, sed etiam Anthropophagiæ, violati connubij & promiscuæ libidinis gentes pleraſque publicis scriptis damnarunt; quas tamen constat nunc nō solum esse Christianas, verumetiam humanissimas pariter q. cultissimas, & ab antiqua illa barbarie (quæ veréne an falsò illis assignata fuerit, nunc non disputo) maximè alienas. Sed his iam modus estō. Vale.

Finis.

Hic liber, cum nihil attingat Theologicū, poterit citra periculum typis excudi.

AR. MASSIVS.

68-274
Hertzberger
3-18-68

Duke DS99
C531c